



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Jo: Marii Philelphi, Francisci Filii, Poetae Itali, Epitomata

Philelphus, Johannes Marius

Wolferbyti, 1662

VD17 23:296002G


urn:nbn:de:gbv:46:1-7307

MS
MA



sterilisiert Jan. 1988

IV. c. 514.



IV. c. 514.

IV. c. 514.

1. Philadelphii, Epistimeta
2. Vigellus, Epistimeta
Stultitium



D. Kline



D. Kubaer sculpsit.



J

E

Sto

inc

S

in

effo

IV c 574

Jo: MARI PHILELPHI,
FRANCISCI FILII,
POETÆ ITALI,
EPITOMATA,

ad Illustrem
SIGISMUNDUM MALATESTAM
Arimini Principem,
in quatuor Libellos ab Auctore distributa;
Primam lucem

*post ipsa duo secula typis publicis hodie
subeuntia:*

Selectum, & fortasse unice-residuum
Mariani ingenii Opus,
ex Autographo,

in Illustri & Celeberrimâ Bibliothecâ
Augustâ, quæ Leucopoli Saxonum
est, contento,

*efformatum, & à membranarum primigeniarum
tandem-metuentis corruptelis,*

in gratiam Literaturæ Humanioris,
felici prælo temporius vindicatum,

ANNO MDCLXXII.

WOLFERBYTI

TYPIS STERNIIS.

J. Voogt.

1722.

*J. Pasfel:
1766*

Cicero lib. 2. Officior.

Vera gloria radices agit, atq; etiam propagatur. Ficta omnia, tanquam flosculi, celeriter decidunt, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum.

Seneca de tranquill. anim.

Nullum ingenium potest esse magnum antequam habeat aliquid admistum furoris.

Plautus in Captiv.

Sæpe summa ingenia in occulto latent.



PRÆFATIO.

MENTIBUS MODERATI-
ORIBUS,

Affectuum Humanorum defec-
tis Arbitris,

S.



Non rarum, quin imò commu-
ne populis, etiam extra Barbaros
sitis, & hodie est vitium, Studia li-
terarum, & optimarum Discipli-
narum genera à rudioribus, aut planè iner-
tibus terræ ponderibus sperni, minusq;
quàm nihil aestimari; adeoq; tritum illud,
non sine ingenti & crebro sublimiorum in-
geniorum dolore & luctu, abundè de-
monstrari: *Ars non habet osorem, nisi ignoran-
tem.* Undè passim liquet celeberrimã illam
gnomé, quam Suetonius Neroni [cum ei à
Mathematicis prædictum esset, fore, ut im-
perio destitueretur,] tribuit, Erasmi⁹ autem
ita græcè exprimit: Τὸ τέχνηον πᾶσα γαῖα τρέ-
φει: id est: *artem quævis terra alit; per sapè,*

[*] 2

tan-

tanquam naviculam, suas syrtes experiri
 & magno cum discrimine ventilari; licet
 Caligulas Homero, Caracallas Aristoteli
 Licinios aut Valentinianos, universæ lite-
 raturæ, ceu pesti publicæ infestos, moder-
 num, quæ Christianus orbis patet, seculum fer-
 mè ignoret. Econtra aurea mancipia [quæ
 diverbio adolescentem divitem ac imperi-
 tum Socrates, citante Stobæo serm. 4. indigita-
 bat] honoribus circumquaq; obfessa, Suidæ
 bovem in quadrâ argenteâ feliciter æmu-
 lari, quotidianum penè est. Sanè latissimè
 nunc quoq; florere prisca illa corrupti mo-
 ris tempora, propalam est, de quibus Su-
 monensis Vates lib. I. Pastor. hunc in mo-
 dum queritur:

In precio precium nunc est, dat census honore.

Census amicitias. Et alibi;

Auræ nunc verè sunt Secula: Plurimus aut

Venit honos, auro conciliatur amor.

Ipse licet venias Musis comitatus, Homere,

Si nihil attuleris, ibis, Homere, foràs.

Quod dum boni quique vident, quis eorum
 animum, indignitatem rei ægrè ferentem, ju-
 stis qui intonet querelis, incuset? Quicquid
 tamen illud sit, sive Artium Liberalium in-
 evitabile odium, sive Virtutum sanctissi-

marum internecinum toxicum; cum à vulgi, ultra paleas non sapientis, fece propendeat, hydram secare tentaverit, qui morbum istum tollere nitatur. Non enim, *ut ait Cicero pro Planc.* populus iudicat delectu aliquo, aut sapientiâ ducitur ad iudicandum: Sed impetu nonnunquam, & quâdam etiam temeritate. Non est consilium in vulgo, non discrimen, non diligentia: Semperq; Sapientes ea, quæ populus fecisset, ferenda, non semper laudanda duxerunt. *Et pro Rosc. Com.* disertè idem affirmat: Sic est vulgus; ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat. Hæc illa detestanda literarum lues, hoc illud doctorum virorum famæ insidians virus est detrimentum, Bœoticis ingeniis & helleboro egentibus imputandum.

At verò nova Scientiis oboritur tempestas, faviorq; intestinis insidiis ingruit procella. Namq; si & figulus, quod proverbium habet, figulo invidet, & faber fabro, quæ inde speranda operarum *σύνουσις*? Certè Sapientia Studiis indignam quoq; istam sortem obtingere posse, vel Iovem lapidem quis juraret, dum tamen proluxa sese infelicis huius lolii seges ubiq; locorum, vel Tiresiâ

vidente, ubertim offerat. Scilicet tantâ laborant humanæ mentes, etiam quas longa dies cultiores reddidisse putabatur, aliquando iudicii vertigine, ut secus sentiant de eo, quod melius intelligunt, actæ vel invidia furentis nefario impetu, vel *Φιλανθίας* inexcusabilis immaturo Zelo. Ut infinitas Satyricorum, Invektivarum, Castigationum, Examinum, & quæ alia scopticorum libellorum sunt nomina, phalanges omitamus, quas Superiorum Facultatum, quæ vocantur, viri docti, & eximia non unquam Lumina, invicem sustentant, quibusq; acriter, tanquam pro aris & focis, congressu sæpe vel ipsi Ecclesiæ, vel Rebus publicis maximè noxio, inter se præliantur, unice ex Philosophorum tribu Vates illos sacros, antiquitùs καὶ ἐξοχὴν Ποιητῶς dictos, in medium nunc liceat producere. Horum imprimis mentionem ut faciamus in præsens, hoc, quod typis jam exscribi curavimus, opusculum seriò nos invitabat. Quot ergo & quantis animæ istæ innocentes pungantur aculeis, traducantur scommatibus, rodantur sarcasmis, obruantur diceriis, torqueantur injuriis, quotidiana ad satiem usq; testatur experientia. De delicto si quæ-

tas, tandem, se probè discussâ, & accuratè
 deductâ, id erit, ornatè, & elegantè, sicut
 que Figurarum Symmetriâ, pedestri stylo
 eloqui, quod aliquando dicaculi blatero-
 nes aut Stentorei Thraſones, utriq; ad nau-
 ſeam Sapientum *Φίλωνος* [cum Oratoribus
 enim bonis & veris nulla nobis est conten-
 tic, utpote quorum Eruditionem, Eloquen-
 tiam, & cœteras Virtutes non modò mira-
 mur, sed & sanctas semper habemus] prosâ,
 & nudo verborum strepitu vix elatrare
 poterant. Itane risum, aut etiam infamiam
 vobis contrahitis, ô Pectora Cœlestia, quæ,
 genio tacta meliore, augusta molimini, &
 præpetè ingenii volatu ipsa Polorum ady-
 ta transcenditis? Verùm dormitet quan-
 doque suis Aristarchis Mœonides aut A-
 ſcræus, turgescat Sophocles aut Antimach^{us},
 fordeat Ennius aut Pacuvius, titubet Varro
 aut Lucretius, lasciviat Naso aut Catullus:
 Humana saltem ea erunt [si qua tamen fue-
 rint] & personarum propria, quæ nec natu-
 ram Poëseos infringent, nec gloriam nobi-
 lissimæ Scientiæ obscurabunt: Adeoq; ac-
 curatè distingvenda erant, quæ arti per se
 competunt, ab iis, quæ artificio nonnun-
 quam aberranti humanitùs contingere so-
 lent.

lent. Præterea de Poëtis sermo nobis est veris & genuinis, qui miro quodam artificio, in hac, quam profitentur, arte excellunt, & suo iudicio pollent; non Poëtastris, futilibus nugonibus, aut corvis crocitantibus. Unde non minimi videtur esse momenti, quod Johannes Posthius, Electoris quondam Palatini Archiater, Epigrammate de Studio Poëtices scitè edisserit:

Nil nisi vile sapit vulgus: Cæleste Poëta

Sunt genus, & laudem Posteritatis habent.

Cætera mortales inter bona cuncta peribunt,

Solius ingenii gloria morte caret.

Tantâ ergò sequiora, & hac in parte deteriora, Secula in divinam Poësin invehuntur bile & proterviâ, quam prisca illa, quibus candor & simplicitas latè germinabant, venerabilem & sacram ubiq; habebant. Dolendum sanè, declinâsse tantopere ab antiquis modernos Orbis incolas: Nulla tamen nævum hunc, jam suis radicibus fultum, obliterare potis erit spongia. Quod si sentiat quis, occupari nos in re dubiâ, & quæ vix, ac ne vix quidem probari queat: Ei quidem vestrâ, Optimæ Mentes, veniâ regerimus, dum calamum ad manus sumeremus, Francisci Petrarchæ nobis venisse in

men-

mentem, clarissimi, inquam, illius Poëtae & Oratoris, cujus insigne Elogium Sebastianus Brand ita orditur:

*Gloria Petrarchæ tanto est cumulata decore,
Ut sibi nil addi, nil minuire queat.*

Vosius verò post varia variorum selecta encomia ipsum tandem Summi Viri titulo coronat. Hic igitur solus, temporis lucrandi causâ, omne punctum feret, omnemque hanc litem componet, aut deducet libris illis quatuor Invektivarum, in Medicum obijurgantem scriptis, quos Clementi VI. Pontifici Romano dedicavit. Etenim si quisquam ambigat: An Poësis sit necessaria? an inter Liberales Artes recipienda? an sit Scientia? an mulceat, aut fallat? an propter obscurum stylum sit reprehensibilis? an à præstantissimis viris culta? Næ ille luculenter inibi offendet, quod curiositati suæ sedandæ sufficiet. Porro sollicitus de Poëtarum officio, velatâ veritate, raritate, claritate, antiquitate, lectione, immortalitate; fusiùs idem ex hoc cœlesti Viro (uti eum Jacobus Bergomensis Chron. Suppl. l. 13. vocitat) ea omnia libris jam allegatis addiscere poterit. Prurit fortè ultra animus, Poëtarum insectari conditionem & historiam.

en quoq; præter alios Petrus Crinitus maximam partem elucidabit. Absolutissime autem omnium Lilius Gregorius Gyraldus universum negotium in Dialogis suis, quos plures scripsit, expediet. Ex dictis oppidò liquet, nasturtium vix attigisse loquaces illas talpas, quæ innoxia & Sapientibus abundè sacrae Poësi nequiter insultare, eiq; debitam laudem detrahere non erubescunt: Vel si qui reperiuntur lingvarum & Scientiarum aliarum peritiâ pollentes, nihilominus tamen in Poëticam unicam eximie debacchantes, eos Samiorum, Abydenorumq; moribus impensè delectari, atq; Sycophantarum gregi strenuè accedere; Parùm rectè dirimentes Horatianum illud:

Scribimus indocti, doctiq; Poëmata passim:
multò minus utramvis aurem præbentes
memorabili Ovidii effato:

Quid petitur sacris, nisi tantùm fama, Poëtis?

Hoc votum nostri summa laboris habet.

Cura Ducum fuerant olim Regumq; Poëta,

Premiaq; antiqui magna tulere chori.

Sanctaq; majestas, & erat venerabile nomen

Vatibus, & larga sepe dabantur opes.

Ignoscite, moderatiores animi (qui, quò
humani malè-feriatorum quorundam ho-
mi-

minum affe-
quâq; impo-
gnovistis,
hoc quiden
fieri id aliâ
dite. Nun
deritis, qu
paverimus
bus rapiam
nis, & alio
librio. Præ
Poëta, digr
erudito O
retur, nup
set, quid di
tamen istu
τεμήςη: id
doq; noverca
tuseffer, an
verforum St
reliquis non
querelis per
stra deo est
consuetudin
rentibus nob
Autor ipsi
mano extra

minum affectus aliquando delabantur, quâq; impotentiâ laborent, exquisitè cognovistis) calamo præter morem Poeticæ, hoc quidem in Præloquio, indulgenti, nec fieri id aliâ fortè, quàm veritatis causâ, credite. Nunquam enim nostales deprehenderit, qui vel privatis Studiis nos mancipaverimus, vel planè peculiaribus affectibus rapiamur, excusso penitè rectæ rationis, & aliorum sobriè judicantium, æquilibrio. Præmittere verò ista, Procemii vice, Poëta, dignus obelisco, monebat, nobis, ut erudito Orbi typis publicis communicaretur, nuper injunctus. Qui cum probè nosset, quid distent æra lupinis, & Hesiodæum tamen istud? Ἄλλοτε μητρὶν πέλει ἡμέρα, ἄλλοτε μήτηρ: id est: *Ipsa dies quandoq; parens, quandoq; noverca est*: cum aliis quoq; satis expertus esset, ansam præbuit, infelix fatum universorum Studiorum, & in specie Poëseos, reliquis nonnunquam iniquius, justis his querelis persequi. Ut verò, quæ mens nostra de eo est, accuratè capiatis, lenem pro consuetudine vestrà porrò concedite differentibus nobis aurem.

Autor ipse Libelli, quem sub axe Germano extra Patriam & post ipsas hodiè duceri-

centas aristas, quasi redivivum, nunc primum publicè sistimus, est Joannes Marius Philelphus, Francisci Philelphi Anconitani, Equitis aurati, & Poëtæ Laureati, quin imò, si Vos sio credimus, Palæologi, Imperatoris Constantinopolitani ad Pontificem & Italos Principes aliquando Legati, filius: Xenophontis, Cyri, Angelæq; Sororis, frater germanus. Mater ei cum cœteris communiserat Theodora Chrysolora, Emanuelis Chrysoloræ, Hominis Græci doctissimi, & multorum magnorum Virorum in hac lingvâ Præceptoris, ejusdemque Jo: Palæologi, ad Europæ Principes ob bellum Turcicum Legati, filia. Hic ipse Marius, Studiorû causâ, Constantinopolinâ Patre adolescens mittebatur. Frustrâ autem eundem conquestum esse, hunc suum gnatum evasisse inibi indoctiorem, quàm venerat (uti quidem annotat celeberrimus Vos sius) ipse noster fermè demonstrare videtur, dum Partui huic, quem membranis post se reliquit, unâ cum acquisitis paternæ laudis titulis, epigraphen Doctoris præfigere, itidemq; postmodum ad diversa munia honorificè vocari meruit. Præmaturè quidem Constantinopoli reversus in Italiam, ne scio

scio quofate
stris vitam
dum tene
modicum,
ut ipse fate
comatum
annonim
ad docend
phiam, m
antè lauda
defendit.
ad literaru
invitatum
menumer
Patrem an
ptorib⁹ pro
degisse, qu
matum Aut
de nulla Ma
sa esse, citan
nicon Citi
ipse Marius
munia obeu
menter ipsu
rit, non adeo
ejus, gloriam
talem, quod

scio quo fato, arma amplectebatur, & in castris vitam agebat; quib⁹ implicitus, admodum tener matrimonium inibat, & Masiliae modicum, Marte sic urgente, morabatur, ut ipse fatetur, libello præcipue horum Epitomatum quarto. At verò alio tempore, anno nimirum 1460. Venetias vocatum, ad docendum ibi Oratoriam ac Philosophiam, multæ lectionis & eruditionis vir, antè laudatus, Vossius, ex literis paternis defendit. Successu temporum Mantuam, ad literarum Studia ibi profitenda itidem invitatum, atque inibi aliquot ingenii sui monumenta reliquisse, tandemq; uno ante Patrem anno terris excessisse, ex aliis Scriptorib⁹ probat. Bononiæ verò anno 1462. degisse, quod ipse Philelphus in suo Epitomatum Autographo asserit, planè tacet. Unde nulla Marianorum Operum Vosio visa esse, citanti duntaxat Pauli Langii Chronicon Citizenense, colligere licet. Antamen ipse Marius seriore ætate, publica docentis munia obeundi, doloribus podagræ, vehementer ipsum affligentis, præpeditus fuerit, non adeò aperte liquet. Sufficit laudibus ejus, gloriam ipsi exinde accrevisse immortalem, quod literarum, & in primis Poëseos, ele-

elegante Studio Virorum Maximorum consuetudinem & familiaritatē luculenter sibi asseruerit, & Parentem famigeratissimum æmulari arduè nis⁹ fuerit. Vosio vehementis ingenii Grammaticus, in suis Historicis Latinis, audit. Luber huc annectere, quæ Gyraldus, antè à nobis citatus, gentilis illius, de indole ejus rariore refert *Dialogo priore de Poëtis sui Seculi*: Marius paratissimo fuit ingenio, & memoriâ quâdam incredibili. Nam ut ipse ex Cyro fratre audiui, uno penè stans vestigio, centum per ordinem materiam proponentib⁹, confestim cuiq; quo proposita fuerat ordine, carmine referebat. Longè tamen hic in coronis promptior, quàm scriptis cognitus est. Patet ergò, tametsi Langius libro jam allegato, Marium nostrum Rythmis & cantilenis inclaruisse, memoret, aliiq; aliorum monumentorum faciant mentionem; ea omnia vel injuriâ temporum in detrimentū Mariani nominis interiisse, vel in pulvere forsitan Ascetico, aut planè privato, muribus pascendis infeliciter suppeditari, cum nihil huc usque luci publicæ à quoquam, quod quidem nos sciamus, expositum fuerit.

Quare Opusculum hoc præsens, quod in
ter

ter Phileph
lo nunc qui
baturum e
genii foctib
sit, nullum
ubiq; se ex
Epitomata
suos Elego
subinitium
quasi carm
sis rebus ag
minibus. C
rum *diarx*
conveniel
nostrum a
quid apud a
Quicquid v
tendat, m
Seculi sui v
vel in vitiol
giter alicub
minùs pung
tionem hab
eodem Eleg
sa hæc Epit
tum ob max
tum ob sen

ter Philelphiana primum, & unicum prælo nunc quidem commisimus, abundè probaturum esse, quid de cæteris Mariani ingenii fœtibus, adhuc occultis, judicandum sit, nullum planè est dubium, cum indolem ubiq; se expedientem, luculenter ostendat. Epitomata sive Libros Epitomorum hos suos Elegos Auctor inscripsit ideò, ut ipse sub initium libri primi fatetur, quia fracta quasi carmina esse videntur, dum de diversis rebus agunt, diversisq; dicata sunt hominibus. Ob varietatem ergo argumentorum *διάσχεψιν* quandam inserere heic vix conveniebat, quam nec lecturi Philelphū nostrum adeò ardentè expetent, simile quid apud alios quoq; vates dudum edocti. Quicquid verò Marius noster tandem intendat, mores tamen in primis & egregiè Seculi sui videtur vel in bonis extollere, vel in vitiosis perstringere; unde ut suo largiter alicubi melle fluit: ita alibi terfo non minùs pungit aculeo, Studiorum ubiq; rationem habens accuratam. Uno etiam & eodem Elegiaco Carminis genere universa hæc Epitomata persecurus esse videtur, tum ob maximè consuetum metri genium, tum ob sensus appositam & captu facillimam

mam brevitatem. Quam sibi indulget
 quantitatum aut etiam aliam libertatem, Se-
 culi potius erit, quam Scriptoris; unde pœ-
 nam haud adeò gravem apud bonos incur-
 ret. Bononiæ degebat, cum libellos hos
 quatuor absolveret; Antamen ibi munere
 docentis publico functus fuerit, aut potius
 privatam egerit vitam, nullus ipse refert,
 quamvis sub finem Operis, & post hæc ver-
 ba, aureis majusculis literis propriâ manu
 scitè & eleganter subscripta: ΤΕΛΟΣ ΚΑΛΟΝ
 ista porro simili liquore & artificio subjun-
 xerit: BONONIÆ XII. KALS APRILIS
 M CCCC LXII. Dum hæc loquimur, fie-
 ri non potest, quin alia quoque de Auto-
 grapho Auctoris, & occasione editorum
 horum Epitomatum in medium afferam?

Ipsum Archetypon, vetusto involucro,
 sed tamen olim nitido, concreditum, tenui-
 bus continetur membranis, quarum fron-
 tispicium elegante, & eo quidem aureo,
 caractere fulgidum oculis hanc inscripti-
 onem objicit: EPITOMATA MARI PHILEL-
 PHEIUS PROPRIA MANU QUAM PAPTISIME
 SCRIPTA ET DEPICTA. Coeterum per to-
 tum libellum Epigraphas Carminum sin-
 gulas rubricâ formatas, ipsos verò apices
 Poë-

Poëmatum
 cere licet, eo
 nobis, ab a
 formari arti
 subiniciu in
 str. Sigismu
 cipis (ut vic
 Quem labor
 iudicare par
 in simul arti
 & ita Horat
 ve commisi

Quidlib
 Summis ad
 scripsisse Ep
 liquebit: U
 locorum, ten
 gestarum ar
 esse, censend
 los & Clasico
 monumenta
 antè, quam
 rius, cuius do
 hoc Opusculu
 gimus; ita e
 denti aut det

sibi indulgentiam, libertatem, Sæcra; unde poetarum bonos incursuros libellos haurientibus muneribus, aut potius illis ipse refert, & post hæc veris propriâ manu
 Poëmatum venustè deauratos ubiq; aspicere licet, eo, quo solebant olim, vel in Cœnobiiis, ab amanuensibus Libri plurimi efformari artificio & nitore. In primis autem sub initium insignia Philelphi, & ipsius Illustr. Sigismundi Malatestæ, Arimini Principis (ut videntur) scitè depicta apparent: Quem laborem si Mario quoq; nostro adjudicare par est, oppidò constabit, Pictoriæ simul arti eundem non nihil indulsisse, & ita Horatianum illud ingenio suo festificio subjunxerit:

LS APRILIS

quimur, sic

que de Auto

ne editorum

um afferam

o involucri

ditum, tenuerunt

uarum frontibus

idem aureo

nc inscriptis

ARII PHILELPHI

A PAPTISIME

rum per totum

minum singulis

verò apices

Poë.

Pictoribus atq; Poëtis

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Summis adhæc Viris nostrum hunc sua in-
 scripserunt Epitomata, legentibus plus satis
 liquebit: Unde pro ratione personarum,
 locorum, temporum, eventuum, aut rerum
 gestarum argumenta ipsi scribendi enata
 esse, censendum est, non aliter ac priscos il-
 los & Clasficos Vates nonnunquam fecisse,
 monumenta testantur. Legendus igitur
 antè, quàm carpendus hic noster est Ma-
 rius, cujus doctrinam & venustatem uti ex
 hoc Opusculo, suo tempore raram colli-
 gimus; ita ejus famæ nequicquam invi-
 denti aut detrahenti jure succensem, dum

[**]

li-

literarum & literatorum rem & fortunas ipsum acriter admodum strenuèq; egisse vel à *Josepho* convincimur. Sed ecce! dormierat dudum in Italiâ suâ, & vel ipsâ Bononiâ Marius, anno, post editum hunc ingenii sui fœtum, præter propter decimo octavo fati excedens: Et sopierat pariter non una nox orphana hæc Epitomata, adeoq; Propertianum illud lib. 3. Eleg.

*At non, ingenio quæsitum, nomen ab ævo
Excidit: Ingenio stat sine morte decus;*
Scriptori nostro vix eventurum videbatur, etsi Ovidianâ illâ spe:

Carmina quam tribuent, fama perennis erit:
mentem largus in vivis aluerat. Pereuntibus insuper, aut injuriâ temporum alibi hucusq; mucentibus cœteris Marianî ingenii laboribus, fermè actum putabatur de Philelphi hujus famâ aut memoriâ. Ubi ubi verò hætenus duriora senserant fata, interitus nescii Epitomorum libri, non tamen prorsus infeliciter per bina fermè hæc Secula illuc diverterant, cum hospitem nec barbarum, nec incurium planè nacti fuerint. Quid si & cultiorem, ac optimarum literarum Studiis, atq; vel edecumato iudicio valentem? Sanè quid affirmandum sit,

hæ-

fortunasti hæere omninò decet: Siquidem iners ho-
 uéq; egisse spiritum, vel araneis textentibus, vel tineis
 ecce! dormi rodentibus, Marii membranis dudum a-
 ipsâ Bononiâ exitium struxisset. Italiâne igitur inju-
 hunc ingeniarum incusanda, an Bononia ingrati-
 cimo octa- nis, quæ Marium Philelphum, mori ne-
 pariter non scium, vivere noluerit, imò, socorditer ob-
 ta, adeoq; literando, prohibuerit? Avertat DEUS!
 tantis in fontem cum filiâ matrem propa-
 n ab ovo lare querimoniis, quas literarum faci per-
 te decus; enne subministrasse oleum, nemo Sapien-
 am videbatum unquam negaverit. Et ut, quod res est,
 paucis expediamus: Fato contigit, ut Poë-
 perennis erit ta Italus, à Vate Batavo postliminiò quasi
 at. Pereun- restitueretur. Scilicet dum Nicolaus Hein-
 porum ali- sius, Summi (quod Vosii elogium est) il-
 ris Marian- lius Viri, Danielis Heinsii, non minora am-
 n putabatur biens, Filius peregrinationibus detinere
 moriâ. Ubi tur, Italiam peragrans, caput istud Hetru-
 serant fata- riæ, Bellam Florentiam [de quâ propter
 bri, non ta- pulchritudinem & elegantiam, Carolum,
 a fermè hæc Austria Archiducem, moderni Sacra-
 spitem nec- simi Imperatoris LEOPOLDII. Proavum,
 è nacti fue- pronunciaffe: Dignam esse, quæ diebus
 imarum li- tantum festivis monstratur; autor est Lan-
 imato judi- sius in *Consult. de Princip. Reg. & Provinc. Orat.*
 andum sic- pro *Germ.*] simul in visibat. Commoratus in-
 hæ

ibi, excellentissimorum ingeniorum, quorum copiâ abundare semper credita est Florentia, nanciscebatur consuetudinem; fretusq; utili admodum amicitia, eximia literariæ rei spolia, velut ex instructissimâ acie, dehinc tandem discedens referebat. Quippe pluribus à Carolo Dati manuscriptoris Veterum, anno hujus seculi quinquagesimo secundo, cumularus, providè id agebat, ut tutò & properè in Belgicam deferri curarentur, tanquam jucunda, & haud inania itinerum benè confectorum testimonia.

Attendite Heinſiani cineres, aut vel ipsa Vosſii exuvia, quem vobis Vatem in Batavia ſiſtat ardua Nicolai reducis, & felicior ſolertia! Abierat è Patriâ juvenis ſolus, & non niſi propriæ eruditionis & ſcientiæ clypeo ſtipatus: Verùm remeantem nobili Scriptorum ſatellitio Lugduni excepere Porticus, & ecce! quem vos vix ſciviftis, nunquam autem vidiftis, apud vos ſimul divertit Marius. Itaq; Italia, Philelphianis malefida manibus, negligit, quam lepidus ipſi Vates fervidè quondam meditabat ut dignitatem & gloriam. Necdum tamen ſufficiebat luci Marianæ, inter ſelectiſſi-
mos

mos Muſa
& exquisit
ſed ulterio
ambitus.
ſcripta, &
numenta,
USQUE PA
DEXTERA
Selenianoru
Principum P
na offereba
Guelphob
& ipſum a
cimus, Jo
Autograph
tot Princip
pſerat Poëm
Vatum, uti p
ſimo Promo
juriis diutu
deretur.
Quod &
nunc duo ſec
noſter, quen
gendis matu
caſus autem
remittentem

mos Musarum Batavarum versari greges
 & exquisita omnium Scientiarum Lumina,
 sed ulteriores fors respiranti suppeditabat
 ambitus. Enimverò inter cœtera Manu-
 scripta, & lascivientis Italiae neglecta mo-
 numenta, quæ distincta SERENISSIMO UTRI-
 USQUE PALLADIS NUTRITIO ET TUTORI
 DEXTERIMO, AUGUSTO, *Ducum Bruno-*
Salentanorum, & vel ipsorum hujus sui Seculæ
Principum Phœnici, proximis annis Hein-
 na offerebat promptitudo, inq; Aulam hanc
 Guelphebytanam commodè destinabat;
 & ipsum appellebat, de quo jam verba fe-
 cimus, Jo: Marii Philelphi Epitomatum
 Autographum. Scilicet æquum erat, ut qui
 tot Principibus, & ipsis Regibus sua inscri-
 pserat Poëmata Vates, non nisi à Principe,
 Vatum, uti potentissimo, sic quoq; paratis-
 simo Promo Condo, exciperetur, & ab in-
 juriis diuturniorum tenebrarum defen-
 deretur.

Quod & prosperè, post plenè exacta
 nunc duo Secula, evenit, dum Princeps ille
 noster, quem & æstivus Solis ortus rebus a-
 gendis maturè & perpetim occupatum, oc-
 casus autem nunquam fatigatum, imò nec
 remittentem vidit, benigno, quo univer-

ſas literas, literatorum ipſe Alpha, fovet, o-
 culo Marianis membranis nuper arrideret,
 ipſas Chalcographicâ imprefſione publi-
 cas fieri decerneret, nobiſque id negotioli
 clementer committeret. Quam provin-
 ciam capeſſendi, licet aliâs difficiles fuiſſe-
 mus, ſi ab inferiore quoquam, & nobis pari,
 dere ſollicitati eſſemus; cum minimè nos
 fugiat, à momis, & jejunis Vatum maſtygi-
 bus, & hunc laborem, qui, uti cœtera omnia,
 bono itidem fini intenditur, mordaciter
 abſq; ſuâ culpâ, traductum iri: Serenum
 ramen, & humanorum eventuum peritis
 ſimum, acerrimumq; arbitrum Ducis ani-
 mum obſequenter revereri, ſapientibusq;
 juſſis potiùs acquieſcere decebat, ut Virtu-
 tis comitem invidiam vel Philelph⁹ etiam
 edoceret.

Refurgit ergò obſoletus, & hætenus pu-
 blicè vix quoad nomen notus Mari⁹, quem
 ſui Seculi Pontifices, Reges, Principes, ali-
 iq; ſummi Viri, propter inſignes animi do-
 zes, & ingenii fœcundam excellentiam,
 largo affectu foverant, aut etiam liberali-
 bus præmiis abundè ſuſtentarant: Refurgit
 apud poſteros, qui poſteritatis auram, & in-
 delebilem ſui memoriam æterno carmine

quæ

quasi verat: Resurgit extra patriam, cum
 selecto flore illustrium animorum, quo-
 rum sublimes nisus & præstantia facta, in-
 tra patriam aternitati transcribere, sedulus
 allaboraverat: Resurgit in Germaniâ, &
 ipsius Saxonix quasi meditullio, quem,
 Studiorum mater, Bononia, & perpetuæ
 Apennini montis radices, fertiles aliâ sin-
 geniorum nutrices, vel nesciâ perdidе-
 rant, vel negligenter deseruerant, vel,
 quod laudi potiùs earum dabimus, melio-
 ribus fatis concesserant. Quam enim quæ-
 so incurrerint Thusca illa pectora noxam,
 quam generosus Dati meruerit culpam,
 cum, quod Italus Philelpho recusabat, *Ger-
 mano, & ei quidem Serenis Natalibus, Officiisq̃
 eminenti,* struendum subministraret monu-
 mentum? Certè meliores vix poterat ex-
 spectare lares Marius, quàm tua hæc, *Dive
 Auguste,* aperta Musarum Sacraria, & con-
 fertissima mutorum Consiliariorũ conci-
 lia, ubi & manu propriâ beatè floureret, &
 publicâ divulgatione honorificè enitesce-
 ret, & orbi ipsi fusiùs innotesceret. Oporte-
 bat nempe tot Heroibus simul luci restitu-
 endis, simul extollendis, Heroem esse Phi-
 lelphianæ lucis pararium, qui, si vel Bono-
 niâ,

nia, vel Ariminum, vel Mutina, vel Mediolanum, vel Venetiæ, vel ipsa deniq; Roma laudes gratitudinis meditaturæ aliquando essent, iis ferendis, tanquam exemplar Principis incomparabile, par esset. Virebit itaq; Philelphus per Epitomata, AUGUSTO Brunonio rorem publicum ipsi, aut etiam Italiæ Vatibus aliis, communicante, cui postliminiò de vincitum se Bononiensis noster quam maximè, chalcographicâ sponcione fatebitur.

Vos verò, ô pulchræ! ô ingenii & iudicii nobilitate sublimatæ Mentis, quæ affectibus fluctuantibus prudenter temperare, & censoriâ virgulâ quæq; genuinè discernere didicistis: Vos, inquam, tandem eo, qui Virtuti vestræ debetur, honore compellare, iuvat, ut, quem post publica negotia in universam rem Literariam amorem, industriam, curam, fidem, à *Serenissimo Saxonica Bruno-Seleniana Ratis Naclero*, palmariè sibi canescente, indies indefesoq; studio impendi, vel ἀποδείξει hâc, cognoscitis, solidis haud sine rationibus fieri credatis, & exinde non nisi optima quæq; de hâc quoque Philelphi, omnium primâ, Editione sentiat. Sanè has, secundùm Ciceronis mentem

Orat.

Orat. pro

Imperato

tudinem

do, Cele

um in pr

Silius Ita

publ. ren

Civil. ita

Turpe

O Recto

At verò h

ter excell

quæ men

vulgaren

ter publi

nonium, u

adeò, ut S

& conver

Nullus m

noctiû St

sed succu

tos, cade

quam, po

molem, p

aut urgen

relaxatio

Scipio solus

Orat. pro Leg. Manil. Principis esse Virtutes
 Imperatorias: Laborem in negotiis, Forti-
 tudinem in periculis, Industriam in agen-
 do, Celeritatem in conficiendo, Consili-
 um in providendo: non abnuimus; undè &
 Silius Italicus somnum ipsum à clavo Rei-
 publ. remove videtur, quando *lib. 3. bell.*
Civil. ita inquit:

Turpe Duci, totam somno consumere noctem:

O Rector Libya! vigili stant bella magistro.

At verò his Virtutibus Imperatoriis felici-
 & iudicii ter excellere, Studia sola docebunt, utpote
 quæ mentem humanam perficiunt, & ultra
 operare, & vulgarem auram elevare satagunt. His, in-
 discernere publica, inmersum *Saxonem nostrum Bru-*
no, qui *Vir-nonium*, ultima quoq; Thule non ignorat,
 ellare, juadeò, ut Senecanum illud verè quoq; de se,
 a in uni- & convenienter affirmare queat, *Epist. 8.*
 industri- Nullus mihi per otium dies exit, partem
ronica Bru- noctiû Studiis vendico: Non vaco somno,
 riè sibi ca- sed succumbo, & oculos, vigilantia fatiga-
 o impen- tos, cadentesq; opere detineo. Quare si
 s, solidis quam, post concatenatam expeditionum
 , & exin- molem, publica patiuntur remissionem,
 e quoque aut urgent exhausti langventesq; spiritus
 ne sentia- relaxationem, sibi tandem *Guelphicus noster*
 mentem *Scipio* solus secedit; sed ita, ut nunquam mi-

Orat.

[**] §

nùs

nus sit solus, quàm cum solus, & nunquam
 minùs otiosus, quàm cum otiosus. Verum
 enim verò quos alii credunt arduos sudo-
 res, & fatigantia tædia; illa SELENO suc-
 cumbenti, an cunctanti? non fracto leni-
 mina sunt, & recreationis vicem præ-
 stant, quò fortiori postmodùm nisu con-
 suetam Spartam exequatur. Non igitur ma-
 le merebitur de re literariâ, qui de ipso or-
 be, Dux per omnia absolutus, dudum bene-
 meritus fuit. Non Poëtarum levibus cala-
 mis, aut stridentib⁹ stipulis aurem porrige-
 re, iniquè censetur, qui, uti ingeniorum
 censor est acerrimus, &

mores hominum multorum vidit, & urbes;

Ita etiam suas, in illustri positas, Vir-
 tutes blando, & salutari interscenio pru-
 denter orbi communicat. Non graviori-
 bus deesse unquam credetur, cui Studii
 duntaxat sunt remissio, & Papiniana quies
 quam Statius exprimit *l. 4. Silvar.*

Vires instigat, alitq;

Tempestiva quies: major post otia virtus.

Proinde, qui Parnassi Thithorea & Hyam-
 peum sudum, qui Hippocrenen & Aganip-
 pen limpidam, qui deniq; Musas ipsas &
 Scientias bellè florentes cupitis, & salutaris

Literis precamini, agite mecum indies Cœ-
 los pulsate sinceris his suspiriis: *Perennet! Æ-*
ternet AUGUSTUS, Dux Bruno-Selenianus, Li-
terarum nitidissima Pharos, selectissimum Asy-
lum, ambulansq; Phrontisterium! Valetē Mu-
 farum Corcula, & castissimas Sorores sa-
 cro affectu colere, efficitim perseverate.

Dabam Guelphebyti ē Muséo meo, sub
 auspiciis Serenis, VIII. Calendas Septem-
 bris, Anni Epochæ Christianæ M DC LXII.

Vester totus

quantus quantus

SAMUEL CLOSIUS.

AD



AD MUSAS,

De Opere Philelphiano
Guelphebyti Germanorum
publicè prodeunte.

Cernite Pierides Marii proba metra Philel-
phi,
Ingenii Clarior nobilioris opus,
Quodq; apis, & varia mulcet dulcedine Peitho,
Quodq; Charis tenero condit amœna sinu.
Hic Veneres, Helena, meliore sed indole; palmas
Hic Collatina, Sulpitiaq; legent.
Scipiades Latium priscos revocabit in orbem,
Quin & Alexandros pagina docta canet.
Deserat Augustus, reficit Malatesta Marones,
Aoniasq; ciet fonte fluente lyras.
Sic simul Ausonia, simul amphitheatra Philelpha
Gentis, olente metunt balsama freta typo.
Scilicet Oenotria spirantibus exerit auris
Humor, odorifera fertilitatis opes.
Pulchrior intensis populatur gloria flammis,
Scandit & aethereas igne potente domos.

Ve-

Vestra,
Culm
Attica
Aut
Tendite,
Thesp
Tendite,
Ioniu
Ridet in e
Ambr
Hic requ
Perpe
Hic Dor
Hic
Omnia p
Qua
At si for
Alpin
Non Pac
Ante
Transit
Guelph
Hac sibi g
Carba
AUGUS
Qui
Si lubet, i
Creat

Vestra, Pie! surgunt ibi, vestra palatia florent,
Culmine Chalcidicis splendidiora jugis,
Attica vix tales, tales vix Thessala tellus,
Aut quoque Stymphalides composuere tholos.
Tendite, non veteres Acheloia murmura limphas,
Thespiadesque nemus, non mare Cyrrha fovet.
Tendite, & insolitopetite Acroceraunia salus,
Ionium subit a findite nave salum.
Ridet in obtutu regio gratis sima, vobis
Ambrosiam, vobis quae quoque philtia dabit.
Haec requiesse jurat, subterque virescere laurus,
Perpetuamque sua Plebis amare chelyn.
Haec Domus, antiquis quae Vatibus aurea struxit,
Haec sua post natis quae monumenta parat.
Omnia prona patent, numeri, cytharaque lyraque;
Quaeque Heliconiadum promovet ara decus.
At si forte calet pectus, visisse Philelphum,
Alpini rigidum carpente montis iter. (eur. rem
Non Padus, aut Rhodanus, non Rhenus & Ister
Ante duo potuit lustra tenere virum.
Transit, & longam detestans lumine noctem,
Guelphica fatali sidere recta subit.
Haec sibi grata Pharos, fama quae candida vela,
Carbasa & interitus nescia, pandi ovans.
AUGUSTUS clavum tenet, ille Σοφώτατος, olim
Qui vel in Ioniis vos adamabat aquis.
Si lubet, inventis remorari sedibus, amplos
Creante mox tribuet Principis aula toros.

Fallor, an in mediis videor succumbere Musis,
Qua dudum antè meum competière Ducem,
Ilicet, & SAXO BRUNONIUS aqua Philelpho,
Et sua Castalides en! monumenta locant.
Gloria non Marii, nec vestra, sed unica GUELPHI
est:

Trina tamen fuerit gloria, trinus honos.
Et Marius vivet, Claria vivetis & ipsa;
Dante sed AUGUSTO, perpete luce frui.
Æternum meruit decus enthe a fama Philelphi,
Æternum vobis, & Sibi GUELPHUS alit.

Idem CLOSIUS.



Jo: MA^o

re Musis,
iere Ducem,
Philelpho,
alocant.
ica GUELPHI
s honos.
psa;
uce frui,
a Philelphi,
ius alit.
n CLOSIUS
Jo: MA

JO: MARI
PHILELPHI
EPITOMATUM
Libri
QUATUOR.



JO: MARII
PHILIPPI
EPITOMATUM
Libri
QUATTOR.



EP

Jo

AD IN
PAL



Sic & Isot
Carmin
Nam Vir u
Excellit
Religion
Hæc aut
Is pietate p
Et Duci
Hæc autem
Et Cerer
Casta magi
Pallade



EPITOMATUM

Joannis Marii Philelphi

Libri Quatuor.

AD INCLYTAM ISOTTAM DE MALATESTIS
PULCHERRIMAM ET PUDICISS:

PRINCIPEM.



In frontispicio meruit Dea Isotta lo-
cari,

Quam legeret quisquis carmina
nostra leget.

Ut veluti partis primas Pandulphius
Heros (libri:

Inclytus hujus habet, juraq; prima

Sic & Isotta, Duci nympha acceptissima tanto,

Carminibus praesit Prima legenda meis.

Nam Vir ut heroas superat Virtute vetustos:

Excellit priscas sic vel Isotta Deas.

Relligione Numam vincit Dux ipse severum:

Hæc autem Vestam relligione sacram.

Is pietate patres praestat quoscunq; priores,

Et Ducibus prior est omnibus ingenio,

Hæc autem meritis Cererem matremq; Deorum

Et Cereris prolem laudibus exuperat:

Castâ magis castâ est hæc nympha decora Dianâ,

Pallade docta magis, Pulchra magis Venere.

A

Lu-

Luminib⁹ Phœbū, Phœben pulcherrima fronte,
 Et Daphnen roseo monstrat in ore novam.
 Et quantò excellit reliquas spectiosa decore,
 Tanto animo est cunctis sanctior auricomis.
 Non hæc fucatas pompas, simulataq; sæcli
 Blandimenta putat munera digna Viro.
 Atque Viri hæc laudes imitata & præmia mente,
 Non decus hujus avet, non cupit Orbis opes.
 Ducit ab Æthereo sibi dona petenda tonante,
 Regnaq; stellifero constituenda solo.
 Nil habet insignis, nihil aut laudabile quicquam,
 Quod non jure suum dia ea sotta velit.
 Ergo tibi longæva Dei dent sæcula justî,
 Quandoquidem tanto digna Diana Duce es.

De

AUTOGRAPHO AUCTORIS.

AUCTORIS CALAMO QUOD SINT HÆC CARMINA
 VATIS

SCRIPTA: FUTURA MAGIS CENSEO GRATA TIBI,
 QUAM SI PHŒNICIS DIGITIS PERSCRIPTA FUISSENT,
 AUT NICOSTRATÆ CARMINA FACTA MANU.
 ERGO MANU MARIÏ SCRIPTOS PICTOSQUE LIBELLOS
 ASPICE, QUO RELIQUA LUMINE GRATA SOLES.
 PULCHRA TIBI POTERANT ALIENIS MULTA FIGURIS,
 VERA SIGISMUNDO, SED MAGE NULLA DARI.

S(O)S

S

Jo. Marii

Io. Marii Philelphi, Doctoris, Equitis,
& Poetae Laureati,
Ad Illustrissimum Principem, Sigismun-
dum Malatestam, Epitomata.

LIBER PRIMUS.

INventis mutata modis cessisse Syringa
Dicitur, & primos canna tulisse sonos.
Mox animas tenui mittebat arundine letho,
Semineces luci reddere suetus erat.
Pastorem, imperio patris, Cillenius Orco
Donat, et ad modulos flectere colla iubet.
Inde autem Amphion Thebana ad mœnia saxa
Evocat, atq; docet ponere duriciem.
Connubijs fertur Cecrops iunxisse maritos, (sus
Eductos latebris consociasse Viros.
Orpheus indomitum canitur modò Cerberon au-
Et modò silvarum vertere terga Lyrâ.
Quin etiam cœco cum se commisit Averno,
Abstulit è stygijs quæque pericla feris.
Sustulit & centum feralis monstra Baratri,
Traxit & ad cantus saxa lacusq; suos.
Nestoreis dicunt solitum fluxisse Labellis
Melque favumque suo nectare & ambrosiâ.
Quodq; palustre fuit munus prius, esse Deorum
Promeruit: superos musa canora iuvat.
Nam tuba terribilem vocat in fera prælia Martem,
Tibia phœbéo concitat una sinus.
Mercurius cytharam gerit, arma Minerva fatigat,
Castore cum Pollux ictibus horrifonis.
Et Chorybantis avet plausus audire ministri
Iuppiter uxoris missus ab æthere polo.

Et cornu mugire animas Dis gaudet inani,
 Et Cereris soboles cantibus afficitur.
 Parnassio hinc igitur duo sacra cacumina surgunt,
 Gorgonei Laticis hinc Heliconæ ferunt.
 Hinc Aganippa fluit, fluit ocius hinc Hipocrinæ,
 Et Pyrenæus in sua sæcla labor.
 Quiq; prius fuerat rudis, & sine imagine codex,
 Fistula sidereum ducit ad astra caput.
 Et quæ sola fuit, facta est jam turba Sororum,
 Implevitq; suo singula tecta pede.
 Sive duces meditare: potest Thymotheus in arma
 Vertere Alexandrum terrificum ex epulis.
 Hisitidem ad cœnam nervis rediisse coegit,
 Et testudineo presfit utrumque tono.
 Pythagoram recitant animos frænasse furentes
 Sæpius, & sensu composuisse sacro.
 Paulatim à minimo provecta est flamine ad ipsum
 Æthera, & auratas musa superba domos.
 Non adeo sublimis erat, cum serpere primum
 Mentibus humanis cœpit ab ære gravi.
 Lascivire quidem posthæc magis (Ubera tanquam
 Luxuries tulerit) musa prior didicit. (ubiq;
 Quare adeo est mollis modò, & est communis
 Omnibus; ut musis affluat omne nemus,
 Undiq; concurrunt Vates: modò Laurea juncta
 Sit capiti; Vates, unde velis, ruerint.
 Gresibus incedit paribus vis ferrea: quondam
 Jure movebantur bella, ubi fervor erat.
 Non nisi justitiâ poterant svadente bimembres
 Esse feri, & rabidi non, nisi lege, duces.
 Ergo etiam tetram Torquatus obire bipennem
 Constituit natum, læsa ubi jura forent.
 Fabricius servum, qui clam se prodere regem
 Pollicitus, Pyrrho reddit in interitum.

Se Dec
 Atq;
 Paulat
 Atq;
 Scipio
 App
 Nullus
 Vel C
 Finitin
 Instit
 Et Cre
 Et Th
 Anniba
 Sang
 Sunt ho
 Incel
 Atq; id
 Castr
 Quaq; c
 Turp
 Aufim ig
 Mon
 Et veluti
 Eder
 Non pot
 Judici
 Et quæ o
 Arma
 Fracta (n
 Fragn
 Et quia d
 Non al
 Pauca sec
 Musa fa

Se Decius morti genitusque paterque neposque
Atque; vovet Cocles, militiæ imperio.

Paulatim & Marius nixus fraudare Metellum,
Atque dolis Cæsar imperitare suis.

Scipio nullus erat, nemo hinc Corvinus, Ahalla,
Appius & Fabius concidit & Curius.

Nullus Aristides, nullusque Themistoclis hæres,
Vel Cononis: vel qui par fuerit Macedo.

Finitimos etenim postquam subvertere Ninus
Instituitque suis subdere colla jugis:

Et Cræsi Cyrus regnum committere ferro,

Et Thomyris Cyri surripuisse manum:

Annibal Hesperiam postquam cupit: omnia vertit
Sanguis, & hostilis aggravat arma furor.

Sunt hodie, qui prisca malis exempla sequantur,
Incestum quidquid sacrilegumque petant.

Atque; ideo jam rara fides pietasque; secutis

Castra hodie, & nullum jus movet arma ducum:

Quæque; duo Laurus cingebat honesta: duobus

Turpior ijs hederâ pampinus atra datur.

Ausim igitur miles tales in militis usus

Monstrari, & vates vatibus in medijs.

Et veluti prohibent præclarum tempora nostra

Ederen nos aliquid: futile quodque; placet.

Non potui gravius quicquam tibi mittere: dignum
Judicio carmen, mi Malatesta, tuo.

Et quæ olim teneris humeri potuere sub annis:

Arma tulit miles ad tua tecta novus.

Fracta (nec invideat quisquam mihi) carmina lusi,

Fragmentis titulus convenit ergo meis.

Et quia diversis diversa epitomata cernes,

Non aberit chartâ culpa notanda meâ.

Pauca sed excusent me præmia vatibus: aut jam

Musa fame perijt: sive sepulta jacet.

Sed quando heroas cunctos memorabim⁹ acres;
 Italiae anfractus; dira que bella ducum;
 Jure Sigismundum nova Isottis ad astra levabit,
 Debeo cui quidquid dant mihi fata boni.
 Id carmen, quantus fueris ferroq; togaq;
 Munificus quantum, magnificusque, canet.

AD SERENISSIMUM SICILIE REGEM
 Renatum: quod apud Carolum Re-
 gem fit favori Mario Poetae.

Huc huc Gorgonides concurrite quaeso sorores,
 Pegaseo dudum turba sepulta lacu!
 Huc Heliconiades, dius quas nutrit Apollo,
 Bellerophontei fontis honesta cohors!
 Huc Aganippa tuos ad nos demittito fetus,
 Et Pyrena vagos tradito discipulos!
 Huc hederae & lauri, dederat quas virgo pudica,
 Quam Deus arquite nens mutat in arboream!
 Surgite, & ad gemitus nostros conducite progne
 Et quae flumineas flevit acerba manus,
 Surge senex Vates, cujus de carmine Jason,
 Cujus & est Ithacus carmine clarus: ades!
 Tuque canis patriae qui patrem Caesara, surge;
 Qui Pythona refers, monstraq; facta, veni;
 Et mecum lacerate comas: Velut Iliou anceps
 Pyrrhus Achilleides moenia quando rapit.
 Nunc saevit nam caeca Viris Rhamnusia doctis,
 Nunc mendicat inops gens malefica chelys.
 Nunc pereunt, quoscunq; dies, spes vana laboru
 Tradidit: interimunt inclyta facta doli.
 Non, nisi quale Midae mun⁹ tibi; quale Lucullo est
 Aut Craeso; aut Lydis; gratus habere diu,

Non

Non, nisi qui ingenio fit Pharnacis & Mithridatis,
Aut Marij, aut Syllæ; cultus in orbe viget.

Quique animo excellit, cantet licet ille gigantas,
Sive deum infernum: nil valet ille virum.

Qui valet eloquio rabidos mulcere dracones
Atque feras stygias: cantat inops modulos.

Qui scit jura fori, sanctumque movere senatum,
Jurgia ni & lites noverit: esto nihil.

Qui secreta poli, cœlique; arcana ministrat,
Astrorumque; jubar; ducitur ille furens.

Fabula Cretenfis Cereris: parnasida quæque
Sunt risus: Ludunt carmina nostra patres.

Si novus Alcides, rursusve refurgat Achilles,
Sidesunt Thyasi, pompaque; pulchra, jacent.

Quid Curius possit? Numa quid? quid & ipse
Camillus?

Contempsero duces qui sua dona feri? (vi&?)

Quidque Magus Samius, cui sunt olus atque; aqua
Et Cynici, quorum fercula sunt merita?

Jam, nisi gaza, nihil splendet, nisi forte pyropi,
Et quæ multa dedit Nilus in Hesperiam.

Quod dat ad Euphratem Ganges, Tyberinaque
Ostia: felices sola viros faciunt. (Colchos

Murmure qui valeat, valeat qui sæpe susurro,
Dives erit: populis cultus & ille suis.

Jam nihil est probitas: tanto minus ipsa poësis.
Exciderint frondes fertaque; prima lyræ.

Gallia jamque; viros contemnit maxima doctos,
Spernit & Italia, Græcia & orbis eos.

Carolus unus amat, fovet hos, tutatur, honestat,
Tuque; Renate colis unus in orbe bonos.

Vatibus Augustus veluti rex Carolus alter,
Mecœnas alius vatibus esse potes.

Ast huc turba ruit tanta & tam lata canentum,
 Ut valeant nulli præmia digna dari.
 Unde recedendum est nonnullis sæpe poetis,
 Quæque ausint numeri, sæpe dolenda simul.
 Nil jejuna potest sibi fingere musa famescens:
 Nulla Thalia jacens plectrâ movere solet.
 Est igitur flendum, quando est hæc parva facultas,
 Parvus honos claris egregijsque viris.
 Et nisi nos ditet Rex Carolus atque Renatus,
 Est Acherontea dira adeunda palus.
 Sunt Phlegetontis aquæ, Ditisque petenda pericla,
 Ni spes sola queat pascere nostra animos.
 Et nisi me Siculum, Rex ô mitissime, ducas:
 Jam temerè in mortem præcipitare velim.
 Quod si fortè alios tuta hæc tua Gallia vates:
 Menequit è parvis tradere in alta locis.
 Et tibi sunt aliæ curæ, atque negotia plura:
 Est quoque carminibus spes mihi nulla meis.
 Tunc ego vos Elegos versusque; repono protervos,
 Bellaque magnorum commemoranda Ducum.
 Et prolam dimitto meam, rythmosque; loquaces:
 Sat mihi sit nummis advigilare sacris.
 Nam memini Codrum, fuerat cui parca supellex:
 Parca, nec invideo, cista, miserque; cibis.
 Quot referunt alios, quos esca miserrima pavit?
 Quos nec Apollo suis nutrit in cytharis?
 Congestasque; labor noctesque; diesque; securus
 Nunc jocus est. Vates ridet uterque; polus.
 Fortè nec ad sumum meruere venire tonantem,
 Estque; dedit quidquid mundus, id omne nihil;
 Est melius fortasse fatos non sæpe fuisse,
 Quàm si quidquid agant, sit nihil omne, Viri.
 Si duplici fruimur: duplici tunc munere cura
 Esse potest rebus debet & aucta bonis:

Sci-

Scilicet u

Et mar

Pauperi

Fruet

Sat sit ad

Præm

Quod si

Parcer

Si locus

Te rog

Nève ter

Neve l

AD CL.

quod ar

P Erge h

Turb

Hic ut in

Latus a

Dignè id

Nemo

Ille velut

Velle fi

Ille, velut

Sangui

Nec, nisi f

Esse pu

Vicit ut B

Mergier

Aspice, qu

Thrajic

Scilicet ut vita docti vescamur honestâ:
 Et maneat nostris gloria carminibus.
 Pauperies si nostra domat nunc corpora, nullus
 Fructus & est mortis: quid facimus miseri?
 Sat sit ad extremos vel quærere digna Britannos
 Præmia, vel Gyaros poscere & Antipodas.
 Quod si cuncta mihi desint, tunc vivere frustra,
 Parcere tunc vitæ fas mihi credo meæ.
 Si locus est precibus quisquam tamen, Optime
 Princeps,
 Te rogo per superos, sis mihi subsidio!
 Neve teram tempus, Rex præstantissimus edat,
 Neve labor vanus spesque caduca fiet.

AD CL. VENETORUM DUCEM ET SENATUM
 quod arma in Amyram Turcorum Orbem
 occupantem accipiant.

Perge Heliconiaco veniens è fonte Sororum
 Turba, Ducem flectas in fera bella fenem.
 Hic ut in Ausoniis Augustus pace ruinis
 Latus agit, ferri mille pericla timens.
 Dignè id in Insubribus servatur: at in Mahomettû
 Nemo potest bellis consuluisse satis.
 Ille velut fæva semper prohibetur Eryne,
 Velle fidem cuiquam sive tenere modum.
 Ille, velut Cyrus sitiens in bella cruorem,
 Sanguinolenta gerit pila, manusque feras.
 Nec, nisi signa locet sceptrumque in tecta Quirini,
 Esse putat licitum, ponere fræna sibi.
 Vicit ut Eoas acies, ita anhelat Ibero
 Mergier: Hesperia tradere gramen equis.
 Aspice, quid potuit tenuis hac puer impius? Urbem
 Thraijciam rapuit, Christicolis que jubet.

Imperat & Phthiis priscis, clarisque Micenis,
 Imperat & Samijs: quotq; habet unda freti.
 Imperat & cunctis rabie furibundus Achivis,
 Mitto Arabas, Seraphos, Afsyriosq; duces.
 Mitto Hungros, reliquumque Orbem, cui dirus
 Amyras

Imperitat, nostris quare propinqua Viris.
 Namq; Caphareus dum est stimulo sibi, quando
 Imperio optabat constituisse suo; (latinos
 Classe itidem hunc validam subiturum Corcyrae
 Significant: opus est Dux tibi Marte tuo.
 Hic, quas Vulcanus tulit ex Acheronte sagittas,
 Duraque Cyclopi, quae rotet, arma gerit.
 Huic Jovis est fulmen, quo Juppiter ipse parentem
 Ejiciens regno cogit abire senem.
 Finitimum Oceanum petit hic, quacunq; cadentes
 Circuit ille domos, celsaq; regna Ducum.
 Fretus & exemplo Pompeji, aut Caesaris, ortu
 Solis ad occasum gliscit utrumque jubar.
 Creditis esse fidem, fas creditis esse nefando,
 Qui petit a Nili flumine opaca Tagi?
 En capite arma, precor, Dux & celebrande Senat;
 Eumenidasq; feri frangite jure choli.
 Ac veluti Siculum cecidere in montibus illi:
 Hic cadat in Stygios per sacra bella lacus.
 Quid facitis Veneti, quibus est tam fortis utrinq;
 Turma Virum? quibus est tam tremebunda
 phalanx?
 Orbe Lyburnorum victo, Illyricisque subactis,
 Terninus in Tanain Marcigera arma videt.
 Nunc autem jaceatis? & hunc mittatis in Orbem
 Insanire, quibus hydra severa furit?
 Ha! capite arma, diu quae cum jacere supina,
 Exanimem reddant nunc Phlegetonte satum.

Cum

Cum fore

Me par

AD M

Galeaz

Si valet

Hosp

Et mea si

Prima v

Sed quia

Ut sua r

Tempest

Ante m

Præcipue

Necra

Dic igitu

Qua va

An quia n

Virgine

Aut quia

Pallade

Vel quia

Verba

Diffiteor

Hanc H

Et, fateo

Victa f

Nec neg

Hujus

Huic ocu

Atq; H

Cum fore jam videam Venetis propè mille triumphos,

Me paro, qui Venetis carmina mille canam.

AD MAGNIFICUM EQUITEM AURATUM
Galeaz Marscottum, quod non sit ei deflendum funus Camillæ.

Si valet extinctus revocari carmine Phœbus,
Hospes in auxilium Luminis ante forem:
Et mea sidereum genuissent carmina casum,
Prima velut damnum mens mea flevit atrox.
Sed quia nec lachrymis, numeris nec flectitur um-
Ut sua restituat perdita membra sibi; (bra
Tempestivus ero, Galeaz, comes ipse Poetis,
Ante meam, dederint qui tibi, miles, opem.
Præcipue quoniam nec sunt tua vulnera cruda,
Nec ratio à rabido pressa dolore jacet.
Dic igitur: quid erit? doleas cur morte Camillæ?
Quâ vacat extinctâ quidquid in orbe boni est,
An quia nec Veneri formâ, nec honore Dianæ,
Virgineo cesit, hac prior? hac melior?
Aut quia purpureas tractabat pulchrius artes
Pallade? Pandorâ non minus apta Deâ?
Vel quia nec choreæ latuere, nec alta Camillam
Verba? nec egregium quod magis esse potest?
Diffiteor nec enim diâ superasse juventâ (nunt,
Hanc Helenen, & quotquot carmina prisca ca-
Et, fateor, victa est hac clara Polyxena vivâ
Victa simul Daphne est, Majaq; victa simul.
Nec nego, tantarum similis quod nulla Dearum
Hujus erit, memorat quas vetus historia.
Huic oculos, fateor, geminos velut astra fuisse,
Atq; Hecate frontem duco fuisse parem.

Quid

Quid recitem flavos, Galeaz Marfcotte, capillos?
 Quid, quod ebur collo. pectore five fuit?
 Puniceasvégenas? Tyrj quid labra coloris?
 Cœtera quid memorem candidiora nive.
 Vicerit illa rosas: superaverit illa ligustra:
 Atque sui similis nulla puella fiet: (illam
 Fare age quid tandem causæ est lachrymabilis?
 Juppiter eripuit, quæ sit habenda polo.
 Invideas num fortè Jovi? num fortè laceffas
 Ergo Jovem, melius quod vocat omne suum?
 Ha! si id erit causæ, nimum temerarie, nonne
 Te Deus ille dedit? te Deus ille trahet?
 Si mortalis erat moribundâ carne, Camilla
 Fer, precor, hoc æquâ mente, ubi cassâ nece e
 Si verò ætherea est anima, quid ad æthera defle
 Hanc abijisse? Jovis & petijisse sinum?
 Quod si sapegemis, quia plus dilexeris illam,
 Te fatis: hæc reddet nunc in amore vices.
 Nam veluti fuerat maculâ sine plenus honesti
 Hic amor, & Voti plenus amoris honos:
 Sic ea apud superos precibus tibi sola parabit
 Orbis, & ingenuæ posteritatis opes.
 Desine flere igitur; Lachrymosas promere voces
 Quandoquidem vivit dia Camilla tibi.

EULOGIUM PRO CAMILLA MALUITIA
Felsineâ.

Hic sita, Maluitij generis lux una, Camilla,
 Quâ nihil in toto rarius orbe fuit:
 Hæc Venerem specie vicit: Virtute Dianam:
 Non minor ingenio: non minor eloquio.

ALIUD PRO EADEM CAMILLA EULOGIUM.

Maluitiæ specimen stirpis, præclara Camilla
 Hoc gelido rosea marmore membra tegit
Virg

Virgineis nulli meritis, nec honore secunda,
 Quæ veteres mirâ præstitit arte Deas.

ALIUD PRO EADEM CAMILLA EULOGIUM.

Maluitiæ his loculis clauduntur membra Ca-
 Quæ fuit ætatis gloria summa suæ. (millæ

Nam nec laude minor, pulchris nec moribus ullâ,
 Tum formâ nituit, tumque pudicitia.

ALIUD PRO EADEM CAMILLA EULOGIUM.

Osfa sub hoc tumulo conduntur sacra Camillæ
 Maluitiæ: cujus mens sita sancta polo est.

Rarior hæc formâ fuerat Phœnice, Dianâ
 Casta magis, diâ Pallade docta magis.

ALIUD PRO EADEM CAMILLA EULOGIUM.

Quam Venus ornavit specie: Dictinna decoro:
 Maluitia his loculis clara Camilla jacet.

ALIUD PRO EADEM CAMILLA EULOGIUM.

Pulchrior hîc Helenâ: priscâ mage casta Camilla:
 Maluitiæ decus est dia Camilla domus.

ALIUD PRO EADEM CAMILLA EULOGIUM.

Plena venustatis, formæq; almiq; decori,
 Hoc sita Maluitia est clara Camilla finu.

ALIUD PRO EADEM CAMILLA EULOGIUM.

Quæ meruit facie, meruit quæ laude beari, (est.
 Corpore Maluitia hic: mente Camilla polo

MALUITIA Ad Magnif. Equitem Auratum Galeaz
 Marscottum, quod pro ejus virtute ac offi-
 cijs semper amabitur à Mario,

ANte Ethos ardebit, Cilicisq; cacumina Tauri:
 Sunt velut usta, puer cum tulit, arma patris.

An-te & Inolus apex campo statuatur, & Hemne,
 Atq; solo Cynthus par erit, Hæmus, Erix.

Ante

Ante Othris mare erit, nivibusq; carebit apricis
 Caucasus, & Pindus, Ossaq; cum Michale;
 Dindymaq; atque Minas: & Olympus, & Appenn
 Cillenusq; æquor, atq; Liceus erit. (ninus,
 Virgineusque Helicon privabitur ante Thaliâ,
 Parnassusque biceps Gorgoneo latice,
 Æthna igni horrifico: sacris sacer ante Cytheron,
 Et sine latratu Scylla jacebit iners.
 Ante suam ponet rabiem furibunda Charybdis,
 Desinet & fluctus mittere pontus atrox.
 Ante mare & tellus miscabitur, ignis & aer,
 Brumaque flamma prius fiet, & unda polus;
 Quam te, non æquè, ac patre te sim cretus, hono
 : Quamque haud afficiar miles amice tibi. (rem
 Imo ubi te Marius, Galeaz Marfcothe, Philelphus
 Diligit, es veluti fidus in Urbe sibi.
 Te colit, & dextro veneratur lumine, quando es
 Militiæ specimen, Felsineumque decus.
 Ante erit arboreus Chrysinus, & omne vacabit
 Pantagiæ flumen, & camerina palus,
 Atque Arethusei Latice, Alphejus & amnis,
 Et Siculis quidquid montibus acre fluit.
 Ante Padus steriles Rhodanusq; tuebitur agros,
 Et fiet Nilus Eridanusque nemus.
 Ante erit Hyrcanæ comes agnus in agmine tygri,
 Sive lupus pecudi, sive canis lepori;
 Mus feli, cervæque Leo, capræque fugaci
 Mutabunt proprios & freta cuncta sinus.
 Te, dum fata sinent nos nostro lumine fungi,
 Vitalique aurâ, semper, amice, colam.
 Officijque memor fuero, quo sæpe Poetam
 Ornasti, & meritis me quibus afficias.
 Virtutisque memor quanta in te cernitur esse,
 Constitui assidue, perpetuoque tuus.

Ergo

Se

Hoc

U

Et q

V

Sive

Al

Sic P

Et

The

Sic

AD

nu

LÆ

Nam

Of

Exul

Et

Non

Ut

Quan

Illa

Non

Peg

Ergo

Et

Hauc

Qu

Quan

Etc

Ergo ubicunq̄ue siem, quid agam, mediterve pe-
tamve,

Semp̄er in ore meo es: te video atq̄; fruor.

Hoc habet, insigni semel est qui junctus amore,

Ut nullis spacijs dissocietur amor.

Et quia corporibus non diffinitur amandi

Vis, sed ab officijs dicitur atq̄ue animis:

Sive locis sejunctus agat, seu corpore amicus

Absit, amor præsens esse ubicunq̄; potest.

Sic Pylades charo semper dilectus Orestis,

Et Pythias socio junctus ubique suo.

Theseus & Comiti: Patroclo affectus Achilles:

Sic, licet abfueris, semper in ore meo es.

AD BENEDICTUM MORANDUM PALATI-
num Comitem: quod Viro forti ad versa
fortuna contemnenda sit.

Lætari partim, partimq̄ue dolere coegit

Me tua, docti loque musa Morande quidem;

Namq̄; ubi me absentem semper speculari, colisq̄;

Officio functus dulcis amicitia;

Exulto, atq̄ue hilari plaudit mihi pectine Clio,

Et veluti resides cogis in arma manus.

Non parva est etenim mihi gratia cœlitusaeta,

Ut claris placeam, mi Benedicte, Viris. (nerva

Quandoquidem nihil est nobis, quod in arce, Mi-

Illam velut posita est, constituatur adhuc.

Non Heliconiacas redolent mea ferta sorores,

Pegaseus nec agit carmina nostra liquor.

Ergo viro placuisse tibi virtute referto,

Et cui non habeat Felsina docta parem;

Haud minus est Mario gratū Benedicte Philelpho

Quam si tradantur Lydia vasa mihi.

Quam mihi Mecœnas si munera digna poetâ:

Et dederit Cæsar regia dona mihi,

Nam

Nam nihil est, Regi caram exhibuisse poelin :
 Et nihil est ducibus complacuisse feris.
 E minimis facile est summos ostendere, si quos
 Augustus coluit, Pollio sive probat.
 Quin etiam indignos solita est Rhamnusia ludens
 Efferre : ut Zephyrus vela secunda refert.
 At quorum est animus clarus : facunda Thalia :
 In nihil indoctum ; nil sine lege probant.
 Omne decus Virtute putant meritisq; teneri :
 Despiciunt sacri mille faces fatui.
 Aspernantur opes, cumulataq; præmia blanda
 Invidiâ : & solâ cum ratione vigent.
 Horû ubi rimaris sequerisq; Morande medullas,
 Atq; es, cui similis nullus in urbe tuâ est ;
 Cur ego non veluti moveam præcordia læta
 Mente, ubi me laudas ? & tibi nostra placent ?
 Gaudeo, & ut cœptis faveant tua fata secundis,
 Opto : mihi & semper afficiare rogo.
 At quod inops fortuna tuo respondet honori,
 Angor, & ut votis non sit amica tuis.
 Sed commune malum est doctis, Benedicte, pro
 Vexari minimâ re, nemesisque pati : (bisq;
 Ludibrio abjectis fieri : quod & unus Homerus
 Edocuit, pressus sæpe fame rabidâ.
 Adde quod in patriâ nulli licuisse videmus
 Florere : & rarò patria digna refert.
 Cur Lacedæmonij clarum eiecere Lycurgum ?
 Curvé Solon propriâ fugit ab Urbe libens ?
 Cur Cicero exilium gustare est ipse coactus ?
 Socratici cineres quid meminere mali ?
 Rarius est albis tibi quippe benefica corvis
 Patria : vel viridi rarius illa bove. (go:
 Quod si etiam quisquam præstat tibi, iudice vul:
 Commune id vitij est ; nec tibi prima mala.

Quo!

Quot memorat Satyrus, quos plebs sibi prætulit;
 unus

Ille tamen vivet sæcula mille virum.

Deflorescit iners fors denique; singula tempus
 Occupat: At virtus non peritura manet.

Sunt ubi nunc veterum pompæ? Perfavé pyropi?
 Asfyrij fastus? divitiæque Arabum?

Est ubi summa Midæ argentiq; auriq; caterva?
 Cæna Lucullina? sive Neronis honos?

Ergò age perpetuum si nil potes usquetueri,
 Nî quod ab ingenio prodeat egregio:

Quid quereris minimi tibi pondera parva peculî?
 Quid non contentus forte, Deoq; canis? (lex:

Parva nec est, ubi sunt tot pignora pulchra, supel-
 His fruere, est virtus cum tibi sacra comes.

Quod si fortè doles, meritis quia præmia desunt,
 Id fateor: sed & est gloria parta bonis.

Hinc nati, hinc musæ tecum: Est tibi fama parata,
 Quam tibi posteritas nulla vorare queat.

Hanc nec caufidici, rapiet nec garrula Menæ
 Turba, nec eripiet quidquid in orbe nitet.

Vivim⁹ hâc, quicumq; animum servamus honestè
 Pectore sub luteo, teceq; corporeâ.

Hanc auferre valet fors nulla, minaxve tyrannis:
 Perpetuò comes est ergò futura tibi.

Tu modò ne doleas, quando est tibi patria grata,
 Ipselicit majus promereare decus,

Securas habitare domos, humilesq; culinas
 Crede mihi, præstat Bebriacis spoliis.

AD GENEROSUM FRANCISCUM JUSTINIA-
 NUM, QUOD SOLUS VENETUS DOCTOS
 foveat: cæteri eos parvi faciant.

B.

Flete,

Flete, precor, gelidæ Mulsæ, rigidæq; futuræ!
 Auxilio est vobis nullus in Urbe locus.
 Regibus infesta est, Ducibus malegrata Thalia:
 Derident populi carmina, vulgus iners.
 Jam redeunt, ubi vita fuit prius acta poëtis,
 In nemus, in fluvios, in juga bina ruunt.
 Jam cytharas agimus media in convivia cantu,
 Jam prior est ætas, quæ fuit ante Jovis.
 Vivitur ex auro; Pietas jacet horrida: Tantùm
 Lucra queunt animos divificare virùm.
 Plus valet abjectus, modò sit Fulgentius alter,
 Aureliusque, viro quolibet eximio.
 Plus humilis hodie, modò sit data coccinalæna,
 Quàm queat egregius quisquis, in Orbe viret.
 Jam favor omnis abest, jam præmia singula de-
 Quæ solitus Cæsar tradere doctus erat. (furu
 Ergò abeant miseri, calamos numerosq; recon-
 Ejciant nervos, plectraq; vana manu. (dant
 Accipiant gladios: Decus omne furendo paratur,
 Et pateris longos æquiparando dies.
 Flectite terga jocis: Lautus parasytus habetur,
 Scurraq; magnificos itque reditq; lares.
 Aut igitur thalamos violate, sacrasq; crumenas
 Quarite; vel viduæ divitis ergò torum.
 Si nihil est horum; furtove necive furorem
 Ponite: si modò sint dona parata malis.
 En miseros homines! teritis quid inania frustra
 Tempora? vos brevis est quæ capit hora quoq;
 Ergò aliquid melius tentandum est; altera Vita
 Est homini: Hic satis est quantulacunque quies,
 Flete idè Musæ! locus est non Vatis ullus:
 Est aliunde igitur nostra petenda salus,
 Ex animo insigni: metuit qui nulla caduca,
 Qui sibi, quidquid habet, terminat atq; refert.
 Nonne

Nonne igitur censes melius sensisse Biantem,
 Qui sua se secum singula ferre putat?
 Quid cantare velim vano, sine munere, mundo,
 Cum scio, posse diu non mihi vana dari?
 Quod si etiam quandoq; orbis placuere fluenta;
 Hæc ego cum meditor, nil mihi inane placet.
 Hippocratem superet medicus si quisq;, Galeno
 Doctior & Phœbo, qui Deus artis erat;
 Pluraque quæsierit sibi quolibet, ille subibit
 Iudicium summi, Justiniane, Dei.
 Nil latet hunc, arcana hominum, secreta Virorum
 Hic tenet, hunc nullus decipit orbis honos.
 Non valet hunc gemmis, precio nec flectere quis
 Non prece, non odio, nec latuere doli. (quam,
 Hic roget, exanimem medicæ cur nescius artis
 Miserit in stygios ille vel ille Lacus?
 Curq; diem morbi malesanus distulit atram?
 Cum poterat brevius constituisse cutem.
 Curq; ferox dederat, quod mitius esse venenum
 Debuerat? reddet quid rationis inops?
 Ætheream non ille domum, Phlegetonta subibit,
 Atq; feris fiet vermibus esca recens.
 At qui sacra putat concessa volumina Legum
 Esse: quod iis constet fasq; nefasq; libris:
 Quæ se jure, Dei tuba cum resonabit, inermis,
 Tutus opes, misero condat in interitu?
 Dives at ut fieret, nullum est rimatus honorem,
 Omne decus nummis subdidit ergo sacris.
 Ille fori rabiem, fallacis iudicis iram
 Sæpe timens, collum præstitit acre jugo.
 Quid quoq; mercatis qui cælum utrumq; fatigat,
 Rebus, & in dubiam gliscit obire diem?
 Nunc cumulat Geticas, cumulat nunc ille Sicam-
 Divitias; nec habet inde vel inde modum. (bras
 Quid

Quid tenuisse, polis via quàm sit sideris altis?
 Quid Gemini faciant? quid juga sera bouum?
 Fata vel alterius, iuvat, atq; pericula scire?
 Ignorat proprium cum Magus ille malum?
 Ergò age lude, precor, Labeonis inane cadaver,
 Atq; Apis, in tenebras cum cecidère chaos.
 Ride aliquem Scythicum, gemmæ scrutatur avaræ
 Qui decus Ægypti, scripta que prisca Magi.
 At vos, turba Ducum, ruitis quò deniq; cuncti?
 An locus est superis, qui fera bella velit?
 Nonne igitur caditis diras Acherontis in undas?
 Nullaque fiderei constitit aula Jovis?
 Cæsara nec, Mariùmve polus tenet ullus: In antris
 Tartareis, Ducibus pœna sed una patet.
 In fluvio sitit hic, lapidem conducit & ille,
 Vulturis illius est jecur esca virens.
 Unus Apollineâ restabat splendor in arte,
 Quæ nec in alterius stâtve caditve malo.
 Non cupit hæc bello, cupit hæc nec pace moveri
 In regnum alterni culminis atq; faces:
 Sed paucis contenta jacet, choreasq; ministrat,
 Et numeris nervos cogit, adire Deum.
 Non petit interitum cuiusquam sancta Poësis,
 Non auro in miseros flectitur ipsa Viros.
 Sed satis est, vixisse bonis modiceque Poëtis,
 Posseque magnificas res memorare Lyrâ.
 Addideram his igitur me, mi Francisce: sed ipsis
 Jam nihil est reliquum, cur sacra prima colant.
 Rarò etenim est cuiquam laudis spes digna Poëtæ:
 Indulgent lucris sæcula nostra suis.
 Flere cupit tecum, qui solùm diligis illam,
 Calliope, & tecum flebile carmen agit.

Ad

Ad

XENOPHONTEM PHILELPHUM,
quod ejus virtute plurimum de-
lectatur Marius Frater ger-
manus.

Multa solent aliis multis placuisse; sed uni,
Plus mihi nil placuit moribus & meritis.
Hunc aurum, hunc acies delectat, & agmine
Achillem,
Se præstare ferum, Dardaniùmve aliquem.
Hunc fama oblectat, vulgo quæ falsa probetur,
Et cupit Alcidæ nomina vana sibi.
Ille petit scortum Paphiusve Cyprive minister,
Et Veneris puerum nutrit, & omne nefas.
Ille Numæ leges & Numina Sacra veretur,
Hunc capit alterni cura laborq; mali.
Ille libros Ciceronis habet, carmèneve Maronis,
Et cupit, amoto iudice, laudis opus.
Virginus tenet hunc, Labeove, veterè Lycurgus,
Et Regum & Populi munera summa legit.
Hunc Phæbus, Phæboq; fatus, doctusq; Galenus
Accipit, & morbo est cura reposta Viri.
Clar^o Aristoteles trahit hunc, & quisquis Athenis
Major erat, trahit hunc Stoicus atque Plato.
Ille gulæ fomenta petit, contemnit honores,
Dignus in Assyrijs Regibus inde coli.
Nec magis est variis contentus mensibus annus,
Sive dies horis, arboribusve nemus.
Quàm sint diversæ, quæ tempora nostra morantur,
Curæ hominum; studium cui libet atq; suum.
Sed melius nihil est, nihil est præstantius usquam,
Quàm cupere Ætherei munera digna Jovis.

Nil Virtute magis quod te delectet honestâ,
 Nil quod plus laudis plusve decoris agat.
 Huic animo est sedes, meriti & fundamē honoris,
 Interiùs probitas firma petenda viro est,
 Hæc non illa magis, non illa pericula quærit:
 Contenta est cunctis laudibus æqua sibi.
 Hæc, dum recta velis, rimeris & inclyta quæque,
 Excipit egregium non id & illud opus.
 Quando igitur frater Xenophon mihi in orbe
 Philephus
 Est animo insignis, ingenioque gravis,
 Moribus exsuperans juvenes quoscunq; pudicos,
 Artibus & studiis præditus eximiis,
 Hic mihi plus, quam si fuerint quicunq; pyropi,
 Plus placet atque auro, plusq; adamante, mihi.
 Thesauris cunctis mihi carior, atque Virorum
 Cætibus: atq; meo corpore fortè magis.
 Pulcher ut est Xenophon: sic doctus, honestus,
 amicus
 Cuilibet ingenuo, mente manuque pari.
 Ergò mihi est omni preciosior ipse lapillo,
 Grator & gemmis omnibus ipse mihi.
 Vive diu, Xenophon, nobisq; tibiq; colende,
 Lumen eris domui tuque aliquando tuæ.
 Te tua surgentem faciunt miracula dium,
 Promittunt juvenis signa modi q; senem.
 A teneris annis comes est tibi florida Virtus:
 Qualis eris senio, vita modesta docet.

AD LAURAM VENETAM NOBILISSIMAM,
quod, cum sit pulcherrima, nolit
esse difficultis.

Initui quoties tua lumina, sidera tanquam,
 Aspiceret, ac vultus, dia puella, tuos;
 Sum toties Phœbum visus vidisse, sororque
 Visa mihi toties hujus in ore tuo est.
 Et toties votis numeri que manus que resistunt,
 Cum cuperem laudes commemorasse sacras.
 Non est mortalis species tua: Nuda Diana es;
 Culta Venus: comes est forma pudicitæ.
 Nympha refers veluti passos aliquando capillos;
 Te quoque tunc Daphne, virgo pudica, minor,
 Compta aliquando aurum cervix gerit atque
 pyropos,
 Tuncque secunda tibi est, quæ peperit geminos.
 Colla nives, gena quæque rosas, eborâ inclyta den-
 Puniceas vincunt dulcia labra notas. (tes,
 Purpurei niveo funduntur in ore meatus,
 Et viget in rubeo candida mala sinu.
 Quæque die incedis, spirant opobalsama: Si stas,
 Stant Violæ: Tecum lilia pulchra geris,
 Si loqueris, fluit ore favus; sed verba modeste
 Exprimis, & tacitam te decet ipse pudor.
 Si graderis, docet incessus, te aut esse Dearum
 In numero; aut mulier par cui nulla fiet.
 At cum sæpe sedes, genibusve verere superna
 Numina, tota gravis, totaque plena Dei es:
 Aut medias inter dominarum aurora catervas,
 Sive Bonam superas, sancta puella, Deam.
 In choreis gracilis, velut illa Polyxena, saltas,
 Te neque dexterior prisca Camilla fuit.
 Palladis atque artes melius tu Pallade nosti,
 Artificis cedis nullius ingenio.
 Pensa trahis melius, levius quoque ducis Arachne,
 Penelopen manibus viceris una tuis.

Sipicturatas auroq; ostroque Lacernas,
 Efficis, esque Argis dignior atque Asia.
 Sola domi si forte canis, tibi victa Syringa,
 Et philomela tuis vocibus acta filet.

Quidquis agis, cœleste sonat, cœlestis origo est
 Vel tibi, vel vives non, moritura, diu.

Nemo adeo est mœstus, qui, te dum respicit, haud
 Latus: inest oculis summa medela tuis. (sit

Nemo adeo est tristis, cui sis facta obvia, qui non
 Respirat, tanquam cœlitus affueris.

Sola puellarum specimenque decusque Dearum,
 Luminibus Phœbus, Lunaque sola meis!

Te sequar, ut nautæ signum, dum fluctuat æquor,
 Dum mea me Lachesis hoc finit orbe frui.

Te sequar: & vertant in me sua fulmina cœli,
 Et ruat in pectus Mars licet ipse meum.

Impiane modo sis, vitioque ingrata tot uni
 Dona, tibi à superis tradita, subdideris.

AD CL. JURISCONSULTUM, LUDOVICUM
 Albergatum, quod amoris carmen
 aliunde sit petendum.

POscis inops inopis, cæci cæcusque favorem,
 Infanum stultus consulis & comitem.

A me quæris opem? nescis, Ludovice, Philelpho
 Esse Cupidineæ retia mille manus.

Et quia nulla meos dignata est fœmina tactus,
 Uror, & in molli decoquor interitu.

Atque hebeti ingenio, vitulum velut atra bipeñis
 Aggravat, afficior, & cerebro arripior.

Nec mihi Gorgoneæ plaudunt, velut ante, Soro-
 Nec pedibus currit nostra Thalia suis. (res,

Parce igitur, raptim si quæ modo carmina lusi,
 Conveniunt dominae non satis ista tuæ. Eu.

EULOGIUM PRO BALDASSARE LUPARE
FELSINEO.

HOc Luparis Baldassar agit sub marmore miles,
Quem tulit ad superum clara senecta Jovem.
Nam probitate, fide, pietate, animo que virili
Præstitit : & titulis splenduit, & meritis.

ALIUD PRO EODEM BALDASSARE
EULOGIUM.

Hic situs est Luparis Baldassar equestris in Urbe
Ordinis, & patriæ luxq; decusq; suæ. (hâc
Qui quoniam valuit pietate, fideque; senectam,
Ductus ad integram, vivit apud superos.

ALIUD PRO EODEM BALDASSARE
EULOGIUM.

His Luparis oculis situs est Baldassar equestris
Ordinis, & patriæ gloria summa suæ.

AD JOHANNEM ARCIMBOLDUM
pro ferendo Patris funere.

DEcrevi, dare digna tibi te carmina, Vates,
Quæ valeant luctus pellere jure tuos.
Quod si fortè leges hæc passim cuncta Johannes,
Non erit ingenio parva medela tuo.
Quare age fac videas, studeas, rimeris ad unguem,
Si defunt reliqua, non amor atque fides.
Multa alii possint longè & præstantia docti
Scribere; sed nequeant esse in amore pares.

Illis cedo, carens cytharisq; lyrisque, poetis,
 Illi jure mihi cedere amando velint.
 Sit meus ergò animus numeris pro dulcibus apte,
 Atque meum studium pro resonante chely.
 Hoc verum est: plus fidus aget, cui credis amico,
 Quidquid ait, medico quolibet eximio.
 Plus genito mater; genitus magis ipse parenti
 Deferet; uxori vir: mulierq; viro.
 Italus Italico, comiti comes omnis amanti,
 Et focius socio, sit licet ille rudis.
 Quàm si mente latet stimulus quis ferveat, & quo
 Ille animo fuerit, quo sit & ingenio.
 Arcimbolde magis gemmisq; auroq; Johannes,
 Care mihi, hoc itidem carmine quære meo.
 Non hoc Calliope cantat, non margine Apollo,
 Sed fugit à modulis dia Thalia meis.
 Quod si turpe putes, non esse hæc singula vati;
 Parce, precor, turpe est: sed toleranda lues.
 Præmia parva viris meritis, & laudibus æquis,
 Sunt hodie: Est tantùm purpura grata nitens,
 Efficimur segnes, nec delectamur honore,
 Turba Poëtarum quando remissa jacet.
 Hæc faciam missa, & quod nunc opus impiger
 ausim,
 Aggrediar, brevius quò magis id potero.
 Mors hominum felix ea dicitur omnibus, in qua
 Plus dederint lucri, quàm pia fata mali.
 In quâ nullus erit morientis iniquus honoris
 Corrosor; sed erunt morsq; decusque simul.
 Quando nihil potuit dicto factoque probari,
 Quod non conveniat laudibus & meritis.
 Quando parata viro est morienti, in singula fama
 Facta micans, radiis phœbus ut ipse suis.

Vivere cum placuit, potuit periisse placere:
 Mors hominis tunc est digna, ubi vita juvat.
 Erubuit nec enim Tellum præferre, modestâ
 Functum luce Solon Regibus & Ducibus.
 Quin etiam Cræso Cleobin, fratremq; Bitonem
 Prætulit; hos inquit scire, quid ediderint.
 Nec voluit quenquam laudandum hoc orbe vi-
 Ni prius interitu quo sit in orbe, sciat. (deri,
 Nam si dives erit, regnum brevis auferet hora,
 Qualis erat tanti Lydica pompa Ducis.
 Nonne & Alexander, fretus quia morte veneno
 Demeritus primum ducitur esse bonum? (est,
 Nonne etiam Cæsar post inclyta facta, senatus
 Insidiis cæsus detrahit iis studijs?
 Nonne etiam Cyrus manibus mulieris in utre,
 Potus, ab excelso nomine grande vacat?
 At quoniam Ninus mortem subiisset honestam,
 Fortè fide exceptâ, sidera mente tenet.
 Quot pateant exempla tibi Regumq; Ducumque,
 Quis teneas, quàm sit mors cupienda decens?
 Quantum quisque facit, nisi continet arma re-
 cedens,
 Nil reor hunc omni tempore promeritum.
 Nulla etenim est Virtus, nisi limite terminet illam
 Finis, & excipiat fine laboris opem.
 Nulla dies hominem laudet, nec maximus annus,
 Qualis obivit, erat talis & ille prius. (nat,
 Sola dies benefacta hominum & benedicta coro-
 Talis es in laude, qualis es ipse obitu.
 Nicoleos quare Arcimboldus ad æthera raptus,
 Ducitur, estq; suæ posteritatis honos.
 Ille ubi sex denos, bene vivens, extulit annos,
 Pulvere ad hoc misero regna superna petit.

Et fruitur patriâ, vivus quam semper avebat,
 Quem petiit finem, traditus ille viro est.
 Dum fuit in terris, Latioq; orbiq; colendus,
 Æquus erat, quâvis religione prior.
 Inter conscriptos Patres Ducis, inq; Senatu,
 Aut prior ille fuit, sive secundus erat.
 Ingenio excellens, animoq; fideq; probatus,
 Iustitiæ tutor, fasq; piûmq; colens.
 Doctus erat, quo non in iuribus alter utrisq;
 Clarior; hic gemini juris urrumque decus.
 Eloquio illustris, poterat mulcere dracones,
 Et poterat tygres flectere sæpe loquens.
 Liber erat, verax, cui nec placuere susurri,
 Nec blandi, placuit nec sibi murmur edax.
 Plenus amicitia, Vestæq; Joviq; dicatus,
 Et Cererem fugiens, & Venerem ravidam.
 Hic populis gratus, dignus vitâq; dieque,
 Ad superas ædes è misero orbe volat.
 Mutat inops saculû cum divite munere, & orbem
 Casurum æternâ cum statione Dei.
 Quod si tanta sibi, & tam splendida dona paravit,
 Quid doleas patris, stirps bene creta, bonum?
 Si Pater hoc gaudet, terrâ excessisse lutosâ,
 Et Christi & Mariæ cernere nunc facies;
 Quid doleas, tam digna patri, tam præmia pul-
 Esse tuo? an poterit non placuisse pater? (chra,
 Nonne patres natis dant esse? quid ergo parentû
 Gaudia nos moveant in gemitum & lachrymas?
 Nonne pater tuus ille tibi dedit omnia? quæque
 Vix pauci patres dant, dedit ille tibi?
 Curavit pulchram matrem tibi, pulcher ut esses;
 Egregiam, fieres quò quoq; plenus eâ.
 Te deditâ puero virtutibus: Inde pudicus
 Factus es, & studiis deditus auriferis,

Rhetor ut es totus, quando omnia carmina nosti,
 Missus es ad juris tu quoq; utrumq; decus:
 Hic etiam pœnè es donandus munere digno,
 Et fies citius fama decorque patris.
 Ille tibi pompas, fastusque reliquit honestos,
 Ille domos, agros, & dedit orbis opes.
 Ille ubi tantorum te fecit numen honorum,
 Quid non læteris fata beata patris?
 Utile si dicas tibi non hoc esse; parentis,
 Qui poteras vitâ crescere major adhuc?
 Hoc fateor: Si vivus erat, tibi plura daturum
 Esse; sed hoc plus est, quod dabit ille polo,
 Hic erit unus enim cœlo tibi tutor in alto,
 Hic erit atque viæ ductor in orbe tuæ.
 Nil facies, dicesque, nihil meditabere, quæres,
 Quod non conducat religione pater.
 Ille auctor rerum, fautor, cultorque tuarum,
 Nulla pati poterit damna, futura tibi.
 Ille tibi auxilio, patiare quæcunq; pericla,
 Perque iter hic cunctum lumina clara dabit.
 Gaude igitur, tantum supremâ luce parentem
 Ex humili hoc cœno surripuisse Deum.
 Atq; imitare virum summâ pietate verendum,
 Atque sequare patris facta diesq; tui.
 Tanto etenim potius debes in sidera niti,
 Quanto eratis multis clarior antè Viris.
 Aspicient omnes, quis sis: quam ducere mentem
 Instituas: quo te vivere Marte velis.
 Corpus ut est pulchris spectandum vestibus, atq;
 Forma ubi turpis erit, est mage fœda oculis:
 Sic ubi vestitus fueris spectacula patris,
 Dignus es, in quem sint lumina fixa Virum.
 Quod si fortè minùs respondes laudibus illis:
 Dignus es, in cuius crimina turba ruat.

Scis, nihil esse viro Virtute decentius unâ,
 Nil magis egregium, nil magis ingenuum.
 Quamq; aliquis splendore nitet, tam funditus om-
 nis

Hunc comitatur honos, fama, diesque suus.
 Sed quanto est etiam generosior ull^o, habenda est
 Hoc etiam à tali vita pudica magis.

Omne animi vitium multò est conspectius, in quo
 Sunt proavi insignes, atq; decora domus.

Quando igitur pater est tibi tant^o, & inclyta patris,
 Est domus, atq; atavi, quos celebravit honos;

Quid dubitas, debere manus, furasq; pedesque
 Obnixè ad tantæ figere laudis opus?

Quid dubitas, cunctos, noctesq; diesq; labores,
 Per ferrum atq; faces usque subire necem?

Quid dubitas, nihil esse tibi, cupias modò, durum?
 Nil tibi difficile est, si modò id acre velis.

Eja age, chare patri, dium speculari parentem,
 Quoq; animo fuerit, disce tenere puer.

Ætas illa tibi est, valeat quâ cœca libido
 Rumpere magnificum sidus in ore tuo.

Sed tu frange moram Veneri, diroque furori,
 Atque feris jungas fræna libidinibus.

Alcida scrutare decus, qui per mare, terras,
 Aëraque assiduo multa labore tulit:

Quò post fata foret cœlestis Numinis instar,
 Ut fieret, qualis Juppiter antè fuit.

Tanta est vita tibi: sunt præmia tanta futura,
 Quanta tuis studiis munera digna dabis.

Hoc pecudes tantùm vincuntur; inertia tantùm
 Otia sunt pecorum, nî premat ipsa fames.

Ast homines, aliam cupientes vivere vitam,
 Et non contenti vilibus his oculis:

Sem.

Semper agunt aliquid, graviora negotia semper
Excipiunt, quibus est majus in astra decus.

Ergò locuturi, facturi aut quæque probata,
Ex ore atque animo pulchra & honesta dabunt.

Turpe magis nihil est, quàm si sapientior ullus
Inspidum quicquam dixerit aut fatuum :

Quàm si, quam superi linguamque & verba de-
dère,

Ut doceant, discant quæque pudica Viri;
In pejus rapiant, justumque æquumque perosi,

Qualis abusus erit: Crimina tanta feras?
Quod si talis eris, qualem te monstrat honesta

Forma tua, & species: magna daturus eris.
Namque hominis quàm sit mens, membra & cor-

pora monstrant:
Rarò dissimile est corporis ingenium.

Si te talis honor comitetur in Orbe, parenti
Qualis erat, quo non clarior alter erat;

Efficiere patris genitus fulgentis imago,
Vivus erit tecum totus & ipse pater.

Ossa sumus, sanguis, nervique, & membra pa-
rentum,

Si modò sint animi: cætera cuncta sumus.
Vivus erit semper: qualis nunc vivit in Orbe

Æthereo: tecum vivet in Orbe diu.
Sed quia non vereor, talem, Arcimbolde, futurum

Te patriæ atque patri, pergere te moneo.
Principium summum est, mira hæc tua prima ju-

In te, crede, patrem vivere posse tuum. (venta.

AD PORCELIUM POETAM,

quod, etsi, qui græcas literas ignorat, barba-
rus est, non sunt tamen ex latinis
præferenda.

Græ

Græca, nec inficior, sunt carmina prima poëtis:
Græca, nec invideo, prosa putanda prior.

Historicus Syrius primus; nec id omne negabo:

Atq; Chous medicus primus in Orbe fuit.

Leges Græca dedit Lacedæmon ducta Lycurgo:

Grammaticæ, & cuncta dogmata Græca prius.

Hæc concedo satis, seu Cadmus & ipse figuras

Tradidit, aut Phœnix fœmina prima viris.

Mox alias Japeto tulerit seu cretus ab ipso,

Aut fuit inter tot clarus Aristoteles.

Socratis inventum fileo, taceo que Platonem,

Hesiodum, Linum, nomina mille virum.

Aut melius nostri, vel convenientius illis

Dixere; aut minus est, quod dedit ille chorus.

Quid valeant lepidi, quibus est nec forma lo-
quendi,

Nec modus in dictis? quid valeant miseri?

Prima fuit quondam fama hæc, quia Græcia pri-
ma est:

Italia sola est nunc celebranda cohors.

Debemus Græcis, quoniam fuit inclyta quondam

Græcia: nunc debet Græcia jam Latio.

Sive velis vates, facta est jam Musa Latina:

Aut petis historicos? Historia Italica est.

Eloquii poscas dignos si laude; videbis

Ausonios quotquot parturire dei.

Thrajicii Vates, veteres cedatis Athenæ

Hesperia huic nostræ! cedite Romulidis!

Iram diva canas Pelidæ dixit Achillis:

Quam bene conveniunt ira furor que duci?

Nil ratione prius Regesq; Ducesq; probarint:

Disimile est odii quidquid honestus agit.

Quam magis egregie Maro noster? inepta Poësis

Quamquam prima fuit græca putanda quidem.

Per:

Perge age, dic prisceus quid dixerit inclytus Or-
pheus,

Quoque opus antiquum carmine aborsus erat:

O Rex Pythonis domitor: quam digna Poeta est

Fabula principio, fabula trita viris?

Hic Priami interitum, modiciq; erroris honestat

Facta: nec hæc laudem carminibus levibus.

Ast agitant scenam melius, magis atq; Tragædi,

Histrion quod Græcus quilibet esse sciat.

Nos gravius quæcunq; tamen; moderatiùs omne

Dicimus, itq; pari Musa Latina pede.

Si canis, exitium Trojæ, si carmen Achivum

Concinis; est æris buccina fracta mali.

Quale solet gallû philomela movere procacem:

Quando Italus fuerit, Græce proterve, file.

Sola tibi barba est cum crimine quôq; relicta,

Lingva superbiferis vocibus una tibi est.

Græca, quis hoc nescit, quod lingua molesta Lati-

Excitat, ut plures Attica quæq; velint? (nos

Namq; ubi Myrmidones fameant, se noscere cun-

Confirmare audent, ireq; ad astra sciunt. (Et

Inter quos melior scurra est; parasytus edaci

Guttur: grandiloquos hos gula lata facit.

Horum alii Vatum Græcorum nomina narrant,

Non opera: Est etenim perdita prisca byblos.

Atq; ubi corrosa est à muribus ipsa vetustas,

Omnis honos Danaum concidit atq; decus.

Perge age, quid Xerxes? genitusq; à Xerxe? Phi-
lippus

Quid meruit laudis? quos superat populos?

Quid Cononis nomen, magnive Themistoclis
audent?

Sive Agesilaus, quem faciunt superum?

Incipe Trojanas acies, & quærere bella,
 Atq; Agamemnonia regna, manumq; gravem.
 Plus Bruti fecere duo, majoraq; Cocles,
 Et Decii, & quisquis civis in Urbe fuit.
 Hic opus ingenio est, certant ubi de regione
 Non unâ: At mundum vincere turba cupit.
 Hic opus est animis, ferroq; manuq; superbâ,
 Non ubi ab Herculeâ Troja remissa manu est.
 Non hic ulla fuit Tauro conjuncta Pasiphe,
 Non Medea furens, Phædra vel usa dolis.
 Plus merita est laudis divina Lucretia veræ,
 Quàm Kama, aut quidquid Penthesilea potest.
 Quid non Italia melius duxere phalanges?
 Cedite vos Dolopes, quando Latina volunt.
 Æacide est quovis præstantior ipse Camillus:
 Vivite vos Itali, quos benefacta vehunt!
 Non ego, non dicam, Græcorum laude necesse
 Esse Italis, peperit Græcia si qua bonum.
 Fons velut à Grajis defluxit in arva Latina,
 Attica origo Italis quâlibet arte fuit.
 Non lacus, unde fluit Rhodanusque Padusve,
 fluenti
 Est Rhodano, est Pado dignior ergò suo.
 Rivulus ille quidem est: Aqua tanta sed affluit
 undis
 His, quod erit stupidum, credere ea unde ruat.
 Non igitur granum, quo semine fretus in agro es,
 Est melius quovis semine, quod peperit.
 Non bos unus item, tauros qui mille creavit,
 Est tauris mille ceu prior, & melior.
 Non indocta parens, cui nascitur inclyta nata,
 Prima quod hanc peperit, dignior esse potest.
 Utile credo viris cognoscere Græca latinis:
 Principium à Græcis nostra tulere quidem.

Nec benè doctus erit, lingvam qui negligit illam:
 Non igitur nostrâ dignior illa fuit.
 Noster honos, et nostra salus, nosterq; triumphus,
 Scire placet Græcum, præposuisse minùs.
 Luna placet; sed Phœbus eâ præstantior: Omnis
 Græcia Luna liet: Phœbus in Italiâ.

AD PETRUM CORELLAM PONTIFICEM,
 quod, cum Romam Neapolinq; profici-
 scatur, bene fit ei sperandum.

PHœbus habet pharetram, cum fulgura Juppiter
 effert,
 Ense potens Mars est, Mercuriusque Lyrâ.
 Neptunus rabidum jactat sævumq; tridentem,
 Pluton inops Stygios incolit ergò lacus.
 Alcidæ clava est, cæciq; Cupidinis arcus,
 Bacchus habet thyrsum, dius Apollo chelyn.
 Phœbus ab Assyriis colitur, sed Juppiter Argis,
 Mars fruitur Rhodope, Mercurius Latio.
 Neptunum Troës, Rhodiiq; Chiusq; verentur,
 Plutonem Phlegeton cæcaq; quæq; palus.
 Alciden Thebæ, Cyprusq; Cupidinis arma,
 Cretenses Bacchum: Delus Apollinea est.
 Arma tibi Alphonfi sunt splendida signa beati,
 Parthenope terra est & tua pulchra domus.
 Illa docent homines, fuerint quam facta parenti,
 Atq; quibus meritis sunt data signa tuis.
 Urbs ea te decorat titulis: tibi templa futura
 Una parat: quibus est jure futurus honos.
 Ergò Deus novus es; novus es, cui præmia rerum
 Magna viri debent: fataq; cuncta favent.
 Perge modò, & quâ te via ducit, ad alta Quirini
 Mœnia lætus abi, Parthenopenq; libens.

Ferdinandus enim est tibi munera digna daturus,
 Atq; Pius. Populis gratus es, atq; Deo.
 Hippolyti tota est, tota est tua vita Dianæ,
 Exuperas castos relligione viros.
 Ingenio egregio es, quantū meminere Platonem,
 Eloquio, qualem Nestoris ante favum.
 Esq; Numa in Canones sacros; Civilia jura
 Quanta Solon tenuit, sive Lycurgus, habes.
 Ergò tuæ summo laudi sum junctus amore,
 Sis memor ergo mei, Petre Corella! Vale.

AD VIATORES, QUOD CAPELLA MARIÆ
 extincta, ornataque sepulchro marmoreo,
 commonet homines fidem servare.

Quanta capella fui specie, Perlina, fideque
 Quamque sagax, cuncti discite quæso canes!
 In nemora & campos, urbesq; domosq; secuta
 Semper herum fueram blanda capella meum,
 Pontificumq; aulas summorum sæpe subivi,
 Induperatorum tecta, domosq; Ducum.
 In Comitum medios Regumq; arcana Senatus,
 Maxima quæq; tenens, fida silensq; fui.
 Grata Viris, accepta Duci, charissima Regi,
 Sed Domino imprimis obsequiosa meo.
 Huic ego per montes, camposque, æstusque, ni-
 vesque,
 Perque gelu, & pluvias nocte dieq; comes.
 Nuda, pedesq; fui: petij nec equum, nec amictum,
 Venantemque cavæ tres tenuere dies.
 Nemo ausit coram me tangere tristis inersve,
 Nemo ferox dominum, me vigilante, meum.
 Quot furas hominum, quot calceamenta cecidi?
 Regia tota fui, nomine digna meo.

Mar.

Margarita velut superat candore lapillos,
 Vincebam cunctos nobilitate canes.
 Munda fui, nil turpe unquam nec inane loquuta;
 Qualis eram, talis marmore sculpta moror.
 Solq; ubi ter senis vicibus peragraverat orbem,
 Fata necem; at Domin⁹ hæc monumenta dedit.
 Quid faciant homines? ego marmore digna ca-
 facta fui. Exempla sumite pulchra Viri! (tella

AD IL. JOHANNEM MONTISFERRATE
 MARCHIONEM:

quod, quam pecuniam debebat Mario,
 ubi eâ egebat, traderet.

PER pia Castalii sacrataque numina Deli,
 Per Veneris genitum, perq; Deam Venerem!
 Sol Phœbeq; mihi defunt, Bacchusque Ceresque
 Deficiunt: superest bruma, & acerba fames.
 Et quia pauper amo, pauper quia carmina condo,
 Numina juro Deæ: numina juro Dei.
 Tu mihi solus ades; spes es mihi sola, Johannes
 Marchio; sola salus. Ergo rogate fave.
 Cum reliqui defunt, solus mihi fautor & auctor,
 Protege me, cujus carmine vivus eris.
 Ni succurris ei, qui te super athera tollit,
 Is moritur: tibi sit pœna relicta mali.
 Eja age magnificum Sidus, tua lumina sola
 Prosequor: esto meæ certa medela neci.
 Id modicum quodcunque dabis, ceu cerva Leoni
 Sive Lupo est aries, esca futura mihi est.
 Quale Jovis munus, pateramq; Alcmena, putasti,
 Tale putem donum, quod dabit iste mihi.

Procridis exuperent tua munera tela, Johannes
 Marchio, cum lævi quantulacunq; cane.
 Mercurio magis est haud gratum, efferre trium-
 phum

Ex oculis centum, quàm mihi quod dederis.
 Plutoni nec chara magis surrepta puella est,
 Aut Phædræ Hippolytus, quàm tua dona mihi,
 Et quanquam debes, dederis quodcunq; Poëta,
 Datamen: & munus id mihi constituam.

AD IL. CICHUM ARDOLAPHUM,
 Forlivii Principem, & Pinum fratrem:
 quod & pacis & belli titulis valent.

ARdolaphum quis jure Cichum non tollat in
 altum

Laudibus? Hic reliquis præstitit Ardolaphis.
 Pace suos populos, rectoq; tuetur & æquo,
 Pro patriâ est Cocles alter in Urbe suâ.
 Principe quo felix certè est Forlivia tellus,
 Et poterit cunctâ posteritate frui.
 Quid fratrem Pinum memorabo? ferocia bella
 Qui gerit, & Martis mille pericla manu?
 Ille togâ, hic ferro laudandus; uterq; in utroque
 Quando opus est: meritis vivet uterque suis.
 Principibus gaude ergò tuis, longumque per æ-
 vum
 Forlivi ut vivant, fata secunda roga.

§§(o)§§
 §

JO: MARIÏ PHIL.

ad Illustrem atque Inclytum
 SIGISMUNDUM MALATESTAM,
 invictum Imperatorem, Pan-
 dulphiq̄ue; Filium,
 Epitomorum

SECUNDUS LIBER.

D Eliciis usus Stomachus, dapibusq̄; Deorū,
 Postea fert grave, si fercula dura dabunt.
 Nectareo tenus hâc stomachus tuus usus
 amomo,

Non epulas ruris, non leve gustet olus;
 Multa Maroneo tibi sunt hinc inde tumultu
 Carmina: Nasonis carmina multa lyrâ.

Ille tuis mandat titulis, quid Isotta decori,
 Virtutes quas habet, quam speciem atq̄uea-
 nimum.

Ille autem horrifonos bellorum concinit usus,
 Et Martis memorat prælia mille feri.

Vatibus in mediis Marius quid ineptius ausit?
 Melle satur, spernit jure aloë insipidum.

Sed neq̄; Phœbus avet semper Cytharæd° haberi,
 Arq̄itenens optat, esse aliquando Deus.

Excelsas aliquando deas dimittit, & ipsâ
 Juppiter est Lædæ junctus & auricomis.

Nec Clypeum Mavors semper, nec digerit hastam,
 Sæpe etiam Venerem presfit inermis amans.

Sic magnis doctisq̄; viris, clarissime Princeps,
 Usus, & ingenio tot meliora probans;

Cense etiam, tanto te dignum Principe, nostrum
 Hoc opus excelsâ continuïsse manu.
 Namq; Duces Regesq;, epulis melioribus addunt
 Poma sibi, & cupiunt quottidiana dari.
 Plus fidei, si fortè aliquid, mea carmina præstant,
 Plus alii ingenii. Da mihi, quæso, fidem.

Ad

MAG. EQUITEM AURATUM ET COMITEM,
 JACOBUM GRATUM,
 quod Marii podagra Satyras ad eum
 dare distulerit.

Mittere quando tibi satyras, Jacobe, Philelph^o
 Constituit, subitò hunc dira podagra pre-
 mit. (ciârît,

Vixq; pedis nodus quisquam est, quem non cru-
 Nectorquendo vacat: torqueor ergò miser.
 Forsitan & satyram metuit, quia & ipsa nefanda est:
 In similes etenim carmina præcipitant.
 Sed quod non animo fuerat, nec mente futurum
 Extiterat: Satyram sentiet illa suam.
 Et quid iners valeat? quâ sit pellenda medelâ?
 Unde fluat? cuncti, me referente, scient.
 Hæc tamen interea satyras, Jacobe, paratas,
 Missurus fueram quas tibi, detinuit.
 Compresit jam sæva manum calamumq; poëtæ,
 Atq; toro jussit membra quiesse gravi.
 Interea medici nos hinc, nos inde fatigant;
 Hinc Avicenna patet, inde Galenus adest.
 Deficiunt nummi, minor est, minor atq; crumena,
 Quâ sine nil præstat ille vel ille boni.
 Ergò tibi satyræ defunt, veniente podagrâ,
 Et nummi defunt, hæc veniente, mihi.

Sed

Sed quia, si valeo, satyras potes ociùs ipsas
 Accipere, ut valeam, cura, Jacobe, precor.
 Fac decernatur præstans, Jacobe, numisma:
 Fecisti hoc itidem nam mihi & ipse priùs.
 Auxilio cujus patuit mihi Felsina primùm,
 Hujus subsidio fit medicina mihi.
 Quando ergò ad sanctum venies, Jacobe, Senatū,
 Gratus ut es, Marii sic memor esto tui.
 Ipse quoque, ut gratus tibi sit, dabit ociùs ad te
 Pro meritis satyras, Grate Jacobe, suas.
 Magnus enim fautor doctorum es in Urbe: vererī
 Te decet, & meritis reddere digna tuis.
 Quo dsi fata mihi vitamque annosque secudent,
 Polliceor: Neq; enim me minùs ipse foves.

AD JACOBUM GRATUM,
 Equitem Auratum & Comitem,
 quod Marianis Musis, fame pressis,
 jam succurrat.

Quando adeò opprimitur Marius tuus undique:
 quid non
 Succurris Mario, Grate Jacobe, tuo?
 Jam perit ille fame, perit ille sitiq; geluq;:
 Et quamvis pereat, vivit in Urbe miser.
 Nam miser ille fatis fuerit, me judice, qui, cum
 Plura cupit, semper pluribus ipse caret.
 Nullus avaritiæ stimulus mihi, vivere quæro,
 Vivere, & Officio consuluisse meo.
 Non ego sum Codrus: Codri mihi vascula defint,
 Sint mihi Virgiliti maxima vasa mei.
 Et quia donandi semper mihi summa libido
 Juncta fuit, rebus pluribus indigeo.

Pauca ubi sunt, animi quid sit? potes ipse tueri,
 Atq; vales rebus consuluisse meis.
 Ex te iudicium facito: dare multa, Iacobe,
 Cum soleas, cui sunt singula digna duce.
 Ad te confugio, desunt mihi cœtera Regis,
 Sed tantum est animus regius atq; manus.
 Et quia dura mihi satis ipsa domestica res est,
 Et reditus minimi, maceror inde miser.
 Unus opem mihi ferre soles, tantilla crumena,
 Fac pateat, quanquam pluribus indigeo.
 Nec mora sit, veniant nummi, focus inde cibusq;
 Utque merum nostros possit adire lares.

AD JACOBUM GRATUM,

Equitem auratum & Comitem:
 quod flebilis sit, Mario ejus discessus ad Roma-
 nam Curiam.

Heu mihi! discedis mihi non Iacobe petende,
 Sed repetite prius, quam repetendus eas.
 Quid mihi sit sine te soli? quid in Urbe, profecto
 Te, mihi sit? mihi quid sit sine luminibus?
 Vivo abeunte animâ, stomacho sine pascor, an-
 helo
 Undique & heu! miseris fletibus ora rigo.
 Unde petenda meis morbis, Iacobe, medela?
 Quis mihi protector? quis mihi tutor erit?
 Unde petet victum mea Musa famelica? quôve
 Confugiet vulgi nostra Thalia manus?
 Hâc delusus ero spe vanâ? hâc mente Poëta
 Ibo fatigatus? hæc repetita quies?
 Ibis: & in tanto rerum discrimine cœcus
 Stabo, ubi stultorum turba parata mihi est?

Ille

Ille putet, non esse mihi mea præmia danda;

Ille minùs, quàm sint debita, danda putet.

Ille meum accuset, quamvis sine iudice, nomen,
Et fiam populi fabula facta levis.

Ergò recedendum est mihi, nî tua forte superfit
Spes, redditus nisi sit oc:ùs inde tuus.

Quod si, Jacobe, putas, dic quæso: diutius esse
Nam sine te nequeo; spes mihi sola quidem es.

Fleretamen pergam, dum sis mihi redditus; uno
In quo summa mihi, spesq; salusq; sita est.

EULOGIUM PRO PEREGRINO GRATO
Jacobi Equitis Patre.

HOs, Peregrine, tuo loculos Jacobus honori
Chare parens, Gratus pro pietate dedi.
Exegi officium lachrymis, quas funera poscunt
Clara, pater quoniam virq; colendus eras.
Me verò extollunt quia nunc mea fata, futurus
Sum tibi perpetuæ posteritatis honos.

ALIUD PRO EODEM PEREGRINO GRATO
EULOGIUM.

Hoc situs est Gratus tumulo Peregrinus, honestâ
Gente satus, patriæ Lux quoq; digna suæ.
Hunc Jacobus ei meritò præfixit honorem,
Militiâ insignis eximiusque Comes.

ALIUD PRO EODEM PEREGRINO GRATO
EULOGIUM.

Hoc Eques atq; Comes Peregrinû Jacobus ho-
Affecit meritû Gratus in Urbe patrem. (nore
ALI-

ALIUD PRO EODEM PEREGRINO GRATO
EULOGIUM.

CLarus militiâ, Comes inclytus, hæc Jacobus
Claustra Peregrino fixit & arma patri.
Cui quoniam ingratum fuerat cognomen, is ipse
Officio Gratum reddidit & meritis.

AD JACOBUM GRATUM,
quod legat, quod malit, Eulogium.

ECce elegos! quos fata petunt cuicumque se-
pulchro:
Tu lege, quos malis: Optio nostra tua est.

AD JACOBUM GRATUM,
quod Deus ejus profectio*n*i faveat.

PErgis: & oh faveat tibi, Grate Jacobe, supernus
Juppiter, & gressus dirigat ille tuos.
Pro Patriæ rebus te Roma vetusta videbit,
Pontificisq; aulam congregiare Pii. (tres
Sic modò in Insubriam proficisceris, & modò Pa-
Ad Venetos: ne te regia tecta latent.
Quòq; Senatorem te Felsina, Grate, verendum
Mittit, ibi officium perficis ipse tuum.
Gratia te Regis Romani amplexa probavit
Militiæ titulis, & Comitibus meritis.
Hoc tibi Rex, illud Summus dedit antè Sacerdos:
Te Veneti Civem constituere suum.
Ergò simul patriæ gratus, Patribusq; Senatûs,
Mitteris & sapè pro patriâ & Patribus.

Idq; ubi fit, (succedit enim Rhamnusia votis
 Lata tuis) quidquid poscis, id assequeris.
 Nunc pariter facies tantundem: cuncta, Jacobe,
 Efficies, tibi quæ perficienda dabunt.
 Quare age, si doleo, te discedente, Poetæ
 Grate Jacobe, mihi, perge tamen properè.
 Perge, erit hic reliquis adjunctus honoribus unus,
 Quem neq; posteritas ulla abolere queat.
 Fortunas rapit hora brevis: Quem sustulit illa
 Thesaurum Cræso? quotq; Midæ loculos?
 Quot Xerxi pedites? equites quot? quotque
 triremes?
 Quot myoparones abstulit illa fero?
 Quot Macedum fast? Persarum vana triumphos
 Eripuit? Nam sunt hæc ruinosa quidem.
 Membrorum formæq; bonum frigusve calorve
 Occipit, extinctos & brevis urna capit.
 At virtus aurata manet, pietasque, fidesque
 Cœlesti sedem composuere solo.
 Non Argiva phalanx, classisve, undæve nocebunt
 Egregius post tot sæcula nostra Viris.
 Fama Viros comitatur enim diuturna beatos,
 Et manet æthereos gloria diva patres.
 Hæc tibi post varios terræq; marisq; labores
 Munus erit: merces fama futura tua est.
 Quando tuos populus spectabit in urbe nepotes,
 Dicit: Eis Atavus clarus in Urbe fuit.
 Extabunt monumenta, tuæ res undiq; gestæ,
 Consilii & fidei singula plena tuæ.
 Hæc ego cum meditor, mihi gaudeo; dura, profe-
 Te, mihi vita licet sæpe futura fiet. (Et
 Nam quem, dira fames si me premet, ipse preca-
 Quis mihi, si desis, quis mihi tutor erit? (hor?
 Per-

Perge tamen : tibi fata Deus sortemq; secundet,
 Dum modò ne pigeat te meminisse mei.
 Haud dubito, incolumem rediturũ ad tecta tuo-
 rum

Te fore: Perge modò, fata Deusq; favent.

AD MALTOSELLUM MALATESTAM,
 quod doluerit Marius, eo non bene valen-
 te: lætatusque, eo desideratè viso.

PER medias glacies, fluviosq; geluque nivesque,
 In Rubicontèis denique figor agris.
 Urbs ubi visa mihi, visus Malatesta Novellus,
 Italiæ specimen, Flaminiaque jubar:
 Visa ubi turba mihi Casenæ, ubi Bibliotheca
 Principis, & templi mœnia sacra sui:
 Prospicio, & nusquam hic inventus es ipse petenti
 Maltoselle mihi: deniq; solus abes.
 Mirari incipio, curq; absis, posco, querorque,
 Quern cuperem, solum hunc abdere fata mihi.
 Deniq; post multas lachrymas questusque, refer-
 Febre gravem lecto te latuisse tuo. (tur,
 Hæc si vera fuit ratio, cruciorq; premorque,
 Et commune malum censeo id esse mihi.
 Nam nec plus fuerat Patroclus junctus Achilli,
 Aut Pylades socio, vel Pythias comiti.
 Theseus haud charo magis est dilectus amico,
 Pelopidasve suo, quàm mihi semper eris.
 Quàm fueris. taceo; nam te noctesque diesque
 Nondum etiam visum semper in ore tuli.
 Sed quia te tandem præsens fruor, & quia lætis
 Luminibus voto perfruar ipse meo;
 Orandus Superũ Rector, Clariusque: Valentes
 Et tibi dot vires; hic quoque mentis opes,

AD

AD ÆGIDIUM, ARIMINI PONTIFICEM,
 quod, cum ab eo sit Marius donatus
 summis laudibus, nequeat dignas
 grates agere.

ORnasti me & verbo, & amicæ carmine laudis
 Visus es in nostro procubuisse sinu.

Restituam quid ad hæc? quid ad hæc, pater opti-
 me, reddam?

Ægidio quis erit fructus amicitia?

Ullt mea, si qua mihi diuturno fata favebunt,
 Sint tua, & optatis me meditéretuis.

Atq; utinam res digna foret, te iudice Vate,
 Hoc minimo, & nostris esset ea in manibus.

Crede mihi, natura nihil, nil sidera nobis
 Tradiderint, quod non sit, pater alme, tuum.

Illa vel illa autem mea sint: licet illa vel illa
 Parva fatis, tua sunt, cum tuus est Marius.

Cum Marii pater es, cum te veneratur, adorat
 Haud secus, ac sæcli numen in Orbe sui.

Rara avis in terris, cum latus laude, sacerdos,
 Et cui plus placeat, quam sacra dona, Deus.

Ambitione hodie viventibus omnibus, ille,
 Relligio cui sit grata, novus Deus est.

Et quia nec pietas, nec te minùs inclyta nutrit
 Virtus, nec minùs es doctior aut probior;

Gressibus incedis paribus mundoq; polisque,
 Mirificè afficio laudibus ipse tuis.

Si qua erit ergò dies, quâ tu comes esse Philelphi
 Non dedigneris, ingeniiq; sui;

Ipsè tuum populis meritam narrare coactus,
 Te faciet cunctâ posteritate frui.

Nam

Namq; ubi Pontificum numerabit digna Sacrorū
Nomina, magnifico constituere loco.

Tunc tibi, quod debet Marius, Pater optime, sol-
Munere pro tanto munus amicitiae. (vet,

Nunc autem tenues, jejunasq; accipe grates,
Nosq; iter excuset, atque procella nivis.

Nec grave sit, si quando tuos Jacobus adibit

Fortè lares Burgus, sive Robertus item,
Commendare tuum ambobus, Pater optime,
Vatem:

Quorum ego, quam dudū vixero, nomen agam.
Et quacūq; petam, terrave marive, duorum
Fama virū menti fixa futura meæ est.

Ad Ill. atque Inclytum

SIGISMUNDUM MALATESTAM,
quod Marius, ab eo claro munere
ornatus gratias agat.

Solus eris, quacūque petam terrave marive,
Quem mea magniloquo carmine musa canat.
Quem ferat historia, quidquid recitemve novorū,
Vel quidquid veterum sæpe volumen aget.
Quin etiam enumerem si quando domestica fa-
Inter eris proprios gloria nostra lares. (&a,
si peregrina aderunt memoranda, vel ipse priores
Accipies laudes, primaq; dona Ducum.
Seu nulli Regum memorabere Marte secundus:
Tu modò fac, Marii sis memor usq; tui.

AD JACOBUM GRATUM,
Equitem auratum & Comitē,
quod eo absente Marius summoperè
sibi doleat,

Haud

HAud sec^o extincto lachrymavit Pyrrh^o Achille,
Ac Pylades comite flevit Oreste diu.

Nicomachusq; patrem genuit, Pythiasq; Damo-
Theſea vel ſocius, Pelopidémve comes. (nem,

Non aliter merſas ſegetes deflevit arator,
Mercator vel, opes ſurripuiſſe ſalum.

Non ſecus, Auguſto caruit cum diva Poëſis,
Ac, te ſublato, luſtus ubiq; mihi eſt.

Tu pater ipſe, comes, ſoci^o quoq; : tu mihi fruges,
Divitias mihi tu, Cæſar ut, addideras.

Te Mecœnatem dederat mihi Felſina vati,
Pollio Virgilio tu mihi, Gratus eras.

Te diſcedente, veluti cum nocte ruente
Phœbus abit, ſubito lux mea preſſa mihi eſt.

Quid ſine te nobis Jacobe? quis alter in urbe
Hâc mihi gratus erit? quis mihi charus erit?

Tu Conſcriptorum Patrum ſpecimenq; decusq;
Militiæ lumen, maxima ſpes patriæ.

Te nemo deluſus abit, te nullus inani
Spe ductus lingvæ, mentis & officii.

Munificus quis enim magis eſt te, clare Jacobe?
Quis tibi par meritis, digne Jacobe, fiet?

Heu mihi! quàm doleo, ne ſit mihi copia ſando
Veraloqui, eripuit nam vetus umbra fidem.

Quisq; vel immeritos laudat, quisq; altiùs effert
Quem colit, æthereos evehit adq; ſinus.

Ergò etiam fingi, quidquid mea carmina dicent,
Qui te non norunt, Grate Jacobe, putent?

Sed cui non notus? cui non perſpectus in Orbe eſ?
Quem fugit officium? quem tua facta latent?

Privatiſve velim, quantus ſis. promere rebus,
Publica quàm callès, Marte togâque frui.

Quantus eſ ingenio, quantus pietate. fideque,
Quantus conſilio, quantus & eloquio.

D

Quân-

Quantus iustitiâ, titulis iis deniq; quantus,
 Quos tua militia, quos Comitatus habet.
 Hæc ego non anno numeravero, carmine Homeri
 Hæc licet extulerim, Virgiliive lyrâ.
 Quare ubi te careo, te non præsentem fatigor
 Haud secus, ac si animi pars mihi defuerit:
 Cæcus ago, mancusq; viâ vagor inscius urbis,
 Nec, mihi quid vitæ sit, satis accipio.
 Non nego Franciscum, dignum patre pignus, amici
 Officio functum, munificumq; mihi.
 Nec nego, Alexandrum præsto mihi nocte dieque
 Esse, patris quando est æmulus ipse sui.
 Andream in Marium nego nec pia verba, modumq;
 Quem, si fata sinunt, non minor aura manet.
 At scio magnificentum nil, magnificentius esse
 Te mihi posse meo, chare Jacobe, patre.
 Sed scio te amplecti Marium, velut ipse fuisses,
 Qui mihi tradideris ossa, animamq; pater.
 Et scio, quam possis melius mihi in Urbe favere,
 Quamq; tibi faveant Sidera cuncta magis,
 Præludivit pennis Aquilæ quoq; pullus avitis,
 Dura tamen cælos illa polumq; petit.
 Terribiles ungues imitatur, & ora Leonis,
 Attingit catulus non tamen ora patris.
 Sed redeas tandem nobisq; tuisq; petitus,
 Quo sine vel cæca est Urbs tua, cæca domus,
 Sat Romæ, Patribusq; sacris, Sediq; beati
 Pontificis satis es, visus es atq; satis.
 Isthinc tolle moram, patriamq; , Jacobe, revise,
 Uxorem, atq; nurus, pignora chara simul.
 Plus nobis optate veni quem, lumina tanquam,
 Cæcus avet, cupio quem, velut umbra, diem.
 Hoc rogo, cum venies, properanti^o efficias, quod
 Posco; duo Cosmo des mea verba meo.

Ut valeat primū, superosq; hominesq; precamur,
Si precibus flecti virq; Deusq; potest.

Inde peto, ut, patriā si fortè est læsus Eryne,
Non odia in natum me sua fervet atrox.

Afficior Cosmi Medicis virtutibus amplis,
Quare age fac, contrā nos quoq; Cosmus amet.

Hoc ubi ab egregio posces, Jacobe, fluentis
Cive loci, tradet protinūs omne libens.

Ante tamen, quā Roma tuis digressibus orba
Sit, jubeas centum sæcla valere Pium. (des,

Hinc propera ad patrias, Jacobe, equitantiūs æ-
Quā tulerit forsan corpus Atlantiacum.

AD ILL. atque INCLYTUM MALATESTAM
Novellum, quod, cum amet atque or-
net Viros doctos, ab iis amabitur
& ornabitur.

Quæ, Malatesta, tuum celebrat sacra fama, No-
Nomen, ea exemplar posteritatis erit. (velle

Figetur sacris tibi debita gloria libris,
Qualia Cæsareum carmina nomen habent.

Marmoreo vives exsculptus & ipse facello,
Bibliotheca tuum commemorabit opus.

Res tamen historię narrabunt undiq; gestas,
Et tibi quæ fuerint præmia, musa canet.

Ergò quod afficere historicis, colis atq; Poëtas,
Gratulor, & superos in tua vota voco.

Dent tibi longævū quidquid, Malatesta Novelle,
Expetis, & faveat Phœbus uterq; tibi. (in Orbe,

Quandoquidem es dignus, quem nos veneremur
Et veluti numen sæcula nostra colant. (poësis,

Quem quoque, si quid habet gratum tibi nostra
Haud fileat, quanquam est noster Apollo lo-

quax.

D 2

Ad

AD CHRISTOPHORUM GRATUM, JACOBI
Fratrem, quod, cum absit cum fra-
tre, afficit assiduis lachrymis
amicam.

CHRISTOPHORUM te plorat amor, lachrymatque
juventus

Felsinea, atque gemit quisquis in Urbe tuâ est.

Præcipuè illa dolet, te discedente, puella,

Quam Venus addiderat, sive Cupido tibi.

Mœsta domi charum sibi te remoratur amantem,

Nec choreas tristis, nec sacra templa subit.

Janua non illi, non illi est visa fenestra,

Sola domi reditum cogitat illa tuum.

Si quis eam aspexit, peragrat quia forsitan ædes,

Ægrius haud tulerit visa Diana procos. (fè)

Si quis eam alloquitur, quando est facunda, mole-

Non magis est Phœbum passa puella suum.

Si quisquam hanc hilari vultuq; oculisq; salutat,

Sit veluti gladio læsa, superba fremit.

Hæret inornatis in te speciosa capillis,

In te sollicita est, quidquid inepta facit.

Si loquitur, tecum loquitur, si dormit, eodem

Est animo: tecum est nocte dieq; sequax. (esse)

Heu mihi! quando dabit Deus, inquit inepta, qui-

Cum juvene? & nomen adjicit illa tuum.

Non secus, ac superis sit grata infamia mundi,

Furtaq; tranquillâ lubrica mente ferant.

Credit quippe Jovem, Venus est quia nata, tueri

Vulneribus fixos illa Cupidineis.

Aut quia vel simili jamdudum crimine pressus

Juppiter extiterit, jure favere procis.

Vota igitur quandoq; refert, & thure litandos

Vult superos, reditu sæpe vocata tuo.

Somniat interdum tibi se conjungere amanti,
 Et fruitur vanis vocibus atque toro.
 Luget ad hæc, luctusq; oculos radiantia tanquam
 Lumina purpureo sæpe colore notat.
 Sæpe genas lachrymæ rorantiaq; ora micantes
 Vexarunt, doluit sæpe puella caput.
 Illa quidem nollet, flevit præfente marito
 Sæpe, nec est duri victa pudore viri.
 Ille autem exclamat: Quis te furor, impia, presfit,
 Ante diem cupias ut tibi adesse necem?
 Illa magis lachrymat, frontemq; exasperat atris
 Unguibus, & Diti se vovet & Stygiis.
 At velut in stipulas levis est cum flamma remissa,
 Quæ subito crescit; sic tua nympha solet:
 Quæ quanto est animo primùm levioꝛe, furentem
 Induit hoc habitum, capta dolore, magis.
 Ergò redi, & mœstam rediens solabere amicam,
 Et simul optatus veneris ipse tuis.
 Non patriæ tantùm, non urbi, urbisq; juventæ,
 Sed mihi, Christophore Grate, petitus eris.
 Quòq; cupitus eris magis omnibꝰ, hoc mage gratꝰ
 Omnibus unus eris, si modò nulla mora est.

AD VULGꝰ MALEDICORUM ET INVIDORUM,
 quod, qui nequit à doctis malevolis su-
 perari, minimi facit indoctos.

Cum rabidos tellus vidit tumefacta Gigantas,
 Viribus at hereo non nocuisse Jovi:
 Simia, quæ Summum rideret inepta Tonantem,
 Nascitur: hæc illi vana medela fuit.
 Ergò ubi fulmineas jaculatur Juppiter hastas,
 Labra movet luxus plena proterva proci.
 Hoc abjecta potest funesto belua fato
 Nata, sed astrifero non nocet illa Deo.

Sic, cui non acies centum, non obfuit atrox
Æacides, nullus possit obesse miser.

Non aquilæ, muscas; culices non est elephantis

Quærere: Victori stat sua palma duci.

Magnanimi est, miseri misererier, atq; mederi,
Si valet; id fieri si nequit, esto miser.

AD ILL. atq; INCLYTUM BORSIUM,
Mutinæ Ducem, quod, cum ornarit
Marium munere, ab eo carmen
expectet.

Quod tibi restituum tanto pro munere munus
Nescio; sum vates, carmina sola queo.

Hæc si dona placent, mittam tibi munus, ut omni
Tempore fama tua vivat, & altus honos.

Quasq; modò laudes populiq; orbisq; tuetur,
Has ego perpetuas carminibus faciam. (bunt,

Dumq; polus geminus, Phœbusq; & luna mane-

Dum freta, dum tellus, lux, tenebræq; loco. (tes,

Dumq; homines stabunt, glacies dū frigida mon-

Dumq; tenebit humum noxq; diesq; suam;

Nulla tuum Nomen, Mutinæ Dux clare, filebunt

Sæcula: quis fueris, sidera pulchra scient.

Quàm pius in vates, populos quàm just^o in omnes,
Humanus quantum, quàmq; benignus eras.

Quàm quoq; munificus fueras animoq; manuq;
Quàmq; modestus: erunt hæc celebrata diu.

Et dicent aliquando viri, Ducis inclyta multi

Facta: Canent Borsi plurima dona libri.

Utq; suis non sit plures fortassè querentur

Talis, erat qualis, quem mea scripta canent,

Hæc valeo vates, hæc debeo vera fateri:

Non aurum Cræsi, non mihi gaza Midæ.

Si cupis argentum, nostra expectato caverna
 Exeat: at Versus si cupis, accipies.

AD LAURAM SUAM
 Marii in ejus Vita votum
 & precatio.

Laura decus Latii, Venetæ lux unica gentis,
 Deliciæ Marii, vivite quæso diu!
 Quæq; colore rosas, Lauram probitate Petrarchæ
 Exuperas, læta sis, mea nympha, diu!

AD THEODORAM PHILELPHAM, IN EIUS
 vitâ votum & precatio.

Nympharû Theodora dec^o, choreas cui Phœb^o
 Tradidit, & Cytharam, dia Minerva manus.
 Cui formam Venus, & mores dedit alma Diana,
 Chara patri Mario vive, puella, diu!
 Eloquio, ingenio, gestuq; modoq; venusta es,
 Plus mihi vel dextro lumine chara patri.
 Est Marietta tibi mater Carretta, modesta
 Plus Vestâ & Cybele: Digna parente tuâ es.

AD GALEAZ. MARSCOTTUM, EQUITEM
 AURATUM.

Quidquid id est, quod fortè potest tibi reddere
 munus,
 Carmen id est, Marius quod tibi reddat inops.
 Copia non auri, gemmarum copia nulla est,
 Quæ laudat vulgus, singula deficiunt.
 Sed quæ posse putem transcendere sæcula vitâ,
 Carminibus valeo tememinisse meis.
 Ergò age sæpè meos non dedignabere versus,
 Quos dabimus, nisi tetædia detineant.

EULOGIUM DELPHINIS VENERII VENETI.

HOc Venetæ lumen tegitur sub marmore gentis
 Venerius Delphin, quem mare, terra colunt,
 Artibus insignis, belloq; togâque verendus
 Laude domi atque foris præstitit & meritis.

AD MAGNIF. EQUITEM AURATUM JACOBUM
 Antonium Marcellum, quod dolet
 ejus adversâ valetudine.

AEacides raptam doluit ceu sævus amicam,
 Atq; Helenen conjunx flevit, amantis opus.
 Ut gemuit Priamus patriam, everfosq; penates,
 Æneas Lycios ut periisse dolet.
 Utq; suum Hippolytû flevit pater ipse cadentem
 Utque Icarum gemuit saxa tenere pater.
 Utque tulit Pylades periniquè amittere Orestem,
 Ut quoque Dardanio nil sine Achate fuit.
 Ut sine nil Phœbo est, quibus irreparabilis est lux,
 Et sine nil lunâ nox quibus obstat iners:
 Sic sine te nihil est, Antoni Jacobe, Philelpho:
 Sic dolet, in lecto te latuisse gravi. (fas est
 Quod superest, quodque ipse queo, maledicere
 Hunc morbum, ut fugiat te maledictus edax:
 Morbe fuge Antonî, tenebrosa in tartara, corpus,
 In Phlegetonteos perge redire lares.
 Nec mihi Marcellus, nec amico ostenditur ulli,
 Clauditur in molli te duce, morbe, toro.
 Linque virum insignem, non dignû vulnere cæco,
 Indignum jaculis linque, nefande, tuis.
 Desidibus tu obsiste viris, quibus omnis inanis
 Vita patet, nihil est, quod probet ullus eis.
 Hunc Deus ad magni conducat Nestoris annos,
 Et valeat genitos lætificare suos!

AD

AD BALDASSAREM DARDANUM VENETUM,

DArdane, ut exornas digitū, mihi chare, lapillo:
 Sic ornabo tuas carmine, docte, manus:
 Tu mihi mortales, Baldassar amice, Pyropos,
 Ast ego dona tibi non moritura dabo.
 Quōq; magis præstas multis probitate virenti,
 Accipies magis hoc carmina nostra magis.

AD PETRUM COMITEM,

Mediolanensem Civem.

Cū redii Venetā, Comes ô Petre, nuper ab Urbe,
 Sunt ubi, quod stupeo, splendida recta maris
 Detulimus pluteū tibi, quod dedit alta Cupressus,
 Ne Marium immemorem dixeris esse tui.
 Quā magis optarem, melius tibi tradere quic-
 Major erat quippe res tibi danda Petre. (quam,
 At persæpe focis data thura benigna Deorum
 Non sunt grata minū, quā placuere boves.
 Munere pro magno tibi sit mea magna voluntas,
 Exuperetq; fides maxim a dona mea.
 Debeo nempe tibi, quoniam mihi magna dedisti
 Sæpius, & magnis additus altus amor.
 Debeo: sed quis non debet tibi? solus honestas,
 Quotquot avertent meritis tradere colla, Viros.
 Solus es Insubriæ lumen regionis honosque;
 Debeo, nec nego: sed parva dedisse juvat.

AD JOHANNEM JACOBUM GRITTIM

VENETUM.

Quando meos vers^o iterumq; iterūq; poposci,
 Cur retines versus, vane Jacobe, meos?
 Juris an est quidquam tibi, cur mea sint tua? quic-
 si tibi juris habes, utere lege tuā. (quam

D 5

Sed

AD

Sed si nulla potest dare lex mea, quæso Johannes
Deniq; ne experiar tela remissa cave.

EULOGIUM FRANCISCI BARBARIGI,
Veneti Patritii.

Barbarigus oculis Franciscus clauditur hisce,
Sit licet æthereo mens veneranda polo.
Nos autem geniti, celebrant quos sæcla futura,
Hujus, in hoc fieri constituere sacro.
Nam valuit mirâ Venetus virtute Senator,
Et meritis: nullus quo pietate prior.

Aliud Eulogium

PRO EODEM FRANCISCO BARBARIGO
Patritio & Senatore Veneto.

Barbarigi hoc tumulo est Francisci corpus: at ipse
In superis animus sedibus astra tenet.
Et quoniam nituit summâ pietate fideque,
Hunc lapidem huic nati constituere sui.

Aliud

PRO EODEM FRANCISCO
Eulogium.

Marmora, Barbarige, hæc natorum cura tuorû,
Quæ, Franciscæ, colant sæcla futura, dedit.

AD MARCUM CARPEM
Ariminensem.

Quod tua jam liquit durum internodia pondus,
Gratulor: & quod te carmina nostra juvent,
Sed si tantus amor fuerat tibi, quando cubabas,
Tecta subire Marî? quæ modò causa vetat?
Aut igitur fictus fuerat tibi sermo: vel ipse
Nondum, Marce, vales, teq; podagra premit.

Num

Num fortasè aliuste morbus, amice, fatigat?
 Vel mea non nosse, sint ubi tecta, potes?
 Si quid habes morbi, valeas, rogo numina cœli,
 Omnis & in pigros concidat atra lues!
 Quod si nostra voles ubi celsa palatia surgant,
 Scire, petas primùm templa sacrata Lii.
 Hic propè sacror adest, platea est ubi parva, Lybur-
 Hinc atq; hinc plateam cingit in orbe via. (nus:
 Què tibi dextra dabit, callem aggrediare propin-
 Hic ubi magna vides, credito tecta Mari. (quũ,
 Nicoleos laris est pater Olivottus, ab illo
 Hunc habui: at precio, quod meminisse pudet.
 Hic quoq; limpha recens tibi sæpe parabitur, & si
 Vina voles, dabimus vina, vehenda manu.
 Nectareumq; merum, nisi vina podagra timebit,
 Et quidquid melius vis, dabo, Marce, tibi.
 Non aberunt pisces, ventosa legumina nulla,
 Nulla aberunt olera, Zacchara nulla quidem.
 Nunc autem quoniam Lauram me credis amare,
 Felicemq; meis versibus esse putas.
 Erras, crede mihi, non est ea Laura colenda,
 Est alia, & Laurâ major in urbe tuâ.
 Est hæc Laura mihi centum veneranda per annos,
 Iudice, quæ superat, me, dea vera deas.
 Non virtute minus, non moribus illa pudicis,
 Quàm valeat specie, quàm mea Nympha modò.
 Candida purpureis decorantur menta labellis,
 Summentumq; genas tingit & Ora rosis.
 Colla ebur emittunt, oculi sunt sidera tanquam,
 Quis miser, heu moriens uror: & illa colo.
 Dentibus esse putes, bene si meditére, lapillos,
 Lilia fronte putes candidiora nive.
 Est ea Laura quidem melior quâcunq; priorum,
 Quæ valeat meritò posteritate frui.

Præcipuè quod casta fiet; nisi casta, quid esset?
 Non, nisi quod casta sit, mihi pulchra placet.
 Casta satis Laura est, mea sed quoq; castior illa,
 Judice me, ingenio fallar & ipse licet. (num,
 Numen habet quoddam mea Laura tenella super.
 Numen habet quoddam nympha tenella sibi.
 Hæc aliquando meo calamo memorabitur: hæc est
 Quam cupit & carmen divificare meum.
 Hanc ego pro Virtute colo plus lumine dextro,
 Hæc mihi materiem, carmen, & arma dabit.

AD MARCUM CARPEM, ARIMINENSEM,
 quem podagræ morbus rursus
 fatigabat.

Marce, podagra tenet quod te maledicta, dolere
 Non nequeo, & quod te detinet una domi.
 Vidisses me saepe quidem, foret & mea dextra
 Juncta tuæ pignus dulcis amicitia.
 Cepissemque tuum media in mea brachia pectus,
 Junxissemque meas in tua colla genas.
 Eloquio libuisset enim te audire refertum,
 Mulxissentq; animum nectara tanta meum.
 Sed quoniam obsistit votis malefana duorum,
 Ut tua linquat atrox crura podagra, petam,
 Accipe terribiles, nodosa podagra, Gigantas,
 Accipe tartareos sedula cura deos.
 Sive Duces Regesve premas, quibus esse diurna,
 Et diuturna queas, non revocanda loco.
 Linque meum Marcum: non hic tibi molle calcenū,
 Non capus hic, nec erunt, quæ gula poscit iners,
 Otia non terit hic, studio laudiq; di catus,
 Moribus egregiis, ingenioque gravi.
 Sed satis hæc: evade precor, citiusq; Philelphum
 Vise tuum: nihil est, quod magis ipse velit.

Et

Et quoniam Laurā extollis, laudanda profecto est,
 At superat cunctos altera Laura Deas.
 Hæc facie, hæc Virtute animi, gestuq; decenti
 Nec minor est Phœbe, nec minor est Venere.

AD ILL. FRANCISCUM SFORTIAM,
 Ducem Mediolani, quod ejus laudes
 superant conatus Marii.

Si tua non potui tenus hæc laudare canendo
 Facta, Ducum Princeps Sfortia, parce mihi.
 Nam nihil incomptum te coram venerit: At sit
 Excultum inter tot carmina clara Virum.
 Est tibi Franciscus, celebrat quem fama, Philelph^o
 Quâ volat ad geminos cum ratione polos.
 Haud ego Francisco, quoniam pater, inclyta lau-
 Ornamenta meo carmine digna dabo. (dum
 Sed fileat quamvis mea crassa Minerva parentem,
 Ipse tamen meritis solus in Orbe nitet.
 Sunt alii, quotquot nullis numerabimus annis,
 Quorum carminibus dius Apollo sedet.
 Non igitur segnis fuerim, non negligo tantum
 Marte Ducem, quo non major in orbe viret.
 Non ausus tacui: tua sed præsentia tandem
 Invitat Marium, Sfortia die, tuum.
 Non valet iste tuus vultus sine munere cerni,
 Non animus, non tot facta sonora, meo.
 Quod si rauca chelys fuerit, mens ipsa fidesq;
 Recta tamen, satis est cum pietate fides.
 Quis fileat speciem, tibi quâ formosus Jason
 Cesserit, Heroum, Sfortia clare, decus?
 Nam tua cum specto, Dux, internodia, non es
 Vir; tua cum specto membra superbifera;
 Cum natura tuum pectus faciemq; creavit,
 Sis Deus in terris, dicere visa fuit.

Inde

Inde nec es cuiquam splendoris laude secundus,
 Marte prior cunctis, quod fera bella docent.
 Apuero bellum didicisti, & crevit in annos
 Artibi nota tuos cum probitate pari.
 Nam nihil aut temerè teneris tua fecit in annis
 Cura, aut insipidè: non furor arma tulit,
 Sed juvenis prudens, rarò quod contigit, arma
 Consilio librans, præmia digna tenes.
 Insubrium Princeps propriâ Virtute quiescis,
 Atq; triumphator sæcula mille vocas.
 Nam tibi posteritas quæ debet laudibus ullis,
 Illa dabit titulos, donaq; digna dabit.
 Et quæcunq; prius de Cyro scripta fuerunt,
 Illa tibi cedent, Sfortia, cuncta Duci.
 Illa manu multâ, tua sunt, Virtute peracta,
 Illa minora fatis, sed tibi majus opus.
 Blandior haudquaquam, quæ sunt verissima dico,
 Delector meritum commemorare tuum.
 Mitto tamen quibus est pactis victoria parta,
 Trita quidem populis sunt tua bella fatis.
 Miror, & hoc stupeo, quæ sit Clementia, tantos
 Quâ tueare viros, oppida tanta regas.
 Pace etenim nunquam tali respublica, nunquam
 Hâc requie Latium, quâ valet, Urbsve fuit.
 Nunquam tutus agros potuit per sæcla viator
 Currere, cum nunc sint omnia tuta fatis.
 Hoc minus est, majus, quod quilibet arte vel astu
 Ingeniòve sagax, Marte togâve potens.
 Quilibet, è terris veniat licet ille remotis,
 Quâ tenet occasus Phœbus in Orbe plagas.
 Quâq; oriens soli radiosq; Jubarq; ministrat,
 Quilibet egregium te vocat arte Ducem.
 Quis vates, quis Rhetor agit, quis Doctus in aurâ
 Vitali, qui te non cupiat Dominum?

Er-

Ergò rapis cunctos ad tantos laudis honores,
 Quantos ante Ducum nullus adivit atrox.
 Quantos non solùm tua dira pericula monstrant,
 Sed pietas, sed quæ plura Camœna filet.
 Nam tua quis poterit, quanquam clarissimus ille,
 Facta brevi numero commemorasse viris?
 Non, mihi si centû calamosq; manusq; dedissent
 Fata, queam titulos enumerare tuos.
 Quis tibi quanta fiet poterit constantia Versu
 Scribere? quis prosâ dicere, quanta fiet?
 Cæsara nec tanti faciat veneranda vetustas,
 Nec tanti Macedûm duxerit illa Ducem.
 Sensibus excellit reliquis quo visus, & illi
 Huic parent, tanto es Cæsare floridior.
 Tanto & Alexandro, quos scripta priora dedere
 Eximios: falsò forsitan illa canunt.
 Tu vivis, sed vive diu! coramq; tuarum
 Fama micat rerum, vera, sequaxq; tui.
 Non opus est Ithaco, non est opus inde Catone:
 Quantum sis prudens, singula saxa sonant.
 Quanta sit in factis, tibi quanta modestia dictis,
 Quis modus in cunctis, phœbus uterq; tenet.
 Haud minus est, partum celebri virtute tueri,
 Quàm fuerit summum, quærere tanta, decus.
 Moribus his facis hoc, his laudibus omnia vincis,
 Omnia, quæ tentas, sunt tibi parta simul.
 Qui putat in solis jaculis consistere Martem,
 Fallitur: ille suis viribus arma ciet.
 Illa tamen ratione gerit, probitate gubernat,
 Improbus auspicio fallitur ergò suo.
 Attibi quæ probitas plaudit? Bellona quid ipsa
 Conferat, est nullus, quem latuisse queat.
 Ergò tuæ laudes Stygiam neq; adire paludem,
 Nec Phlegetontis aquas facta subire valent.

Ergò Heliconis erunt in te pia numina cuncta,
 Quæq; Soror nomen tollet ad astra tuum.
 Vive diu felix, fatisq; fruarè benignis,
 Hoc precor / hoc solum, Sfortia dive, queo.
 Hæc ego, dum poterunt artus hæc vescier aurâ:
 Carmina dent alii, qui graviora sonant.

AD FRANCISCUM GRATUM,
 quod sit ei gratulandum, qui Jacobo Grato
 Patre se dignum exhibet.

GRate patri patriæq; tuæ Francisce colende,
 Quando tibi Virtus crescit honosq; tuus.
 In te fama patris nunquam extingvenda manebit,
 Si genitus patris est fama futura sui.
 Quando etenim Legum nodos arcanaq; volves
 Pro Patriâ, dicent: hic patre dignus agit.
 In te Cynus erit, Baldusq; & Bartolus in te
 Vivus, & excipies quos tulit aura prius.
 Adde, quod eloquio poteris mulcere dracones,
 Sive Lycurgus eris, sive Solone potens.
 Humanum sileo, quo non humanior alter,
 Quod pater ipse tibi, quod dedit ipse decus.
 Gratulor ergo tibi, qui sis patre dignus, & ipsum
 Æmulus attingas, ipsius atq; locum.
 Quodq; patris vicib⁹, patre discedente, potiris,
 Te rogo per superos, sis memor usq; mei!
 Mitte, precor (vitat quoniam jejunia venter)
 Quò valeam ventrem sustinuisse meum.
 Flaventi aut auro pueri componere palmam
 Perge: vel argenti pondera da nivei.

AD FRANCISCUM GRATUM TRIBUNUM
 Plebis: quod non sit foemineæ
 libidini adhibendus amor.

Conr

CONSULUI Clarium, premerer cum cuspide cœcæ
Aligeri, extremum ductus in interitum.

Ille autem, obsisti quanquam nequit, inquit amo-
Quisq; tamen diris hostibus arma parat. (ri,

Ille etsi Venerem rapuit, tamen ille Dianâ
Lusus abit: Daphnen non rapit ille tamen.

Melicet atque Jovem vexârit atrocius: illum
Vir tamen Hippolytus & sua tela fugit. (cerbè

Sed modus est quærendus, & hoc medicamen a-
Gustandum est; mollinectare deinde fluet.

Poscis opem, ut video: Nam me ductore poëta es:
Consultus soleo tradere Phœbus opem.

Accipe furta prius mulieris, & arma dolosis
Fraudibus, & quidquid fœmina vana potest.

Hæc, vel ames magis hæc: Pyrrham quâ frater amâ-
Te nec amat, nec amet, sis licet alter Orons. (rit,

Sis licet Æneas pietate, aut pulcher Jason:
Freta ubi te fuerit, non amat illa virum.

Sive velit nervum: nervus nisi viribus extet
Asfiduis, Martem negligat illa ferum.

Sive cupit nummos, quod sæpius accidit: illos
Huic nisi tradiderit, Mercurium ejiciat.

Sive avet, ut blandis hanc tu speculeris ocellis,
Deficiat Castor, Castora despiciat.

Si tamen ille nates vigilantius attrahit, & sit
Dis licet, hinc stygios non timet ipsa focos.

Cerberus obtulerit fulvum optatumq; numisma,
Haud Acherontéos horreat ipsa canes.

Aspiciat festis si quisquam hanc sæpe diebus,
Centaurum excipiat nec sibi inepta ferum.

Interea infidias semper parat, ausa venenum
Ponere, & Herculeis viribus esse procax.

Cum lachrymis fraudes nectit, promissa fidemq;
Haud meminit, quando est hæc odiosa tibi.

E

Non

Non superos, non sacra putat sibi numina mundi,
Infernosve deos posse nocere sibi.

Quin etiam irridet Mariam, pia vota precesque
Fundit, & in Cælum dirigit illa manus.

Si quicquã in charũ desitve aut peccet amantem,
Advocat in propriam numina cuncta necem.

Volve oculos, victa est, nova si sibi forma placebit,
Plus vel is obtulerit, flectitur illa jugo.

Vera tamen negat, & nunc id, nunc fingit & illud:
Fallit, & aucupio vos trahit ergò novo.

Jure igitur mulier, me consule, nulla placebit
Vel tibi, vel simili das tua colla jugo.

Hæc ubi Phœbus ait, dixi: ut mihi sola superstes
Illa sit inter tot fœmina recta malas!

Hæc mihi promissa observatque, fidemque; tuetur:
Quidquid agat, mihi se nocte dieque; vovet.

AD BARTHOLOMÆUM SANCTA-SOPHIAM
Medicum, quod turpe sit, nil præ-
ter pecuniam curare.

E Cquid habent miseri numi? scelerata crumena,
Quã sine nil faciunt plurima turba boni?

Aspicio medicos, medici semel ad tua tecta
Si veniunt, nisi des munera, sæpe cavent.

Aut igitur laruit divini in munere quicquam,
Munere vel melior quilibet esse potest.

Si cœleste aliquid, sacrata numismata, habetis,
Cur nec adhuc templum poscitis atque sacra?

Forsthan & vitulos plures, melioraque thura
Quisq; daret nostris, lacque; merumque focis.

Nectot erant castæ sacra turba dicata Dianæ,
Quot fierent nummis turba dicata sacris.

Nectot erant Baccho, Martive, Jovive sacella,
Quot fierent auro templa domusque Deo.

Ex auro rueret sceleris quodcunque nefandi,
 Surgeret ex auro quæque libido gravi.
 Quodsi fortè solent homines ornare crumenæ,
 Divitiæ egregios si faciunt populos;
 Scire velim, quid id est: pauper cur Christ^o haberi
 Maluit? & minimis regna superna dedit? (scit?
 Quidq; quod is nunquam medicat^o dona popo-
 Quidq; quod is sprevit munera quæq; virum?
 Quot claudis gressum? quot cæcis lumina Christ^o
 Reddidit, & nunquam munus in orbe tulit?
 Exemplo quoniam voluit vos corpora nostra,
 O Medici, sana reddere sæpe suo.
 Vos autem quando semel illa vel illa subistis
 Mœnia: ni tradant munera, mox fugitis.
 Linqvitis inceptos aditus, medicamina cœpta:
 Estne opus hoc sancti, dicite quæso, viri?
 Creditis esse modò nummos, quibus esse beati
 Positis? vel adhuc creditis esse aliud?
 Si petitis Cœlum, cœleste exemplar habentes
 Legistis, quod erit utile fortis iter.
 Felices autem fieri si hoc quaritis orbe,
 Præcipuè vates diligite eximios.
 Pro drachmis numeros, annis pro reddere carmē
 Quippe scio: reddam carmina pro Recipe.
 Quodq; modò sine me nequeūt vestra omnia, pos-
 Hoc ego: restituum sat meliora quidem. (sum
 Vos, nisi paruerim, nihil editis: Ast ego quamvis
 Difficiles statuum credite jure polo.
 Et faciam fieri, populus quod credat uterq;ue
 Quales vos memini, tale fuisse decus.
 Quid petitis reliquum, nisi vos in sæcla beari,
 Hoc ego plus medicis, plus medicâ arte scio.
 Præcipuè miror, te Sancta - latere Sophia,
 Præcipuè obstupear te latuisse mihi.

Aut igitur repetite veni: vel & ipse laboras
Hoc idem morbo, quo reliqui medici.

AD ALBERTUM ENOCH FELSINEUM,
quod diversa sit amantium &
anceps cogitatio.

EXagitor vario noctesq; diesq; furore,
Nec, nisi qui levior est, labor omnis item.
Hinc mihi vae misero! labor est legisse procacem,
In quam mille ruant, quisq; protervus amet:
Nam nec erat tot amata procis casta Uxor Ulyssis,
Nec quæ de Stygiâ pocula sumpsit aquâ.
Non ea, quam novit pater in pede pulvere presso,
Non ea, cujus amor Troica bella tulit.
Hic ego me: Quid enim non sit dolor, in tot ubiq;
Si quis amatores insidiosus eat?
Nemo minor, quando cæca est hæc nostra libido,
Nemo minor, quando cæcus & ipse puer.
Non Cleopatra sibi, qui sæcula mille Maronem
Legit, at excepit quo frueretur amans.
Rarò etiam egregii quicquam sibi scæmina poscit,
Interdum minimis jungitur illa viris.
Nec Venus est Marti, claudo est donata marito:
Mitto maritalem: nos quoq; crede pares.
Rarò divitiis Virtus adjungitur ampla,
Divitiis Virtus non bene facta comes.
Rarò formosæ dos est audita puellæ,
Rarò præstanti forma pudicitia.
Et quem linquit honos, species, cultusq; venust⁹,
Sæpe habet is magnæ lintea culta domus.
Inter mille alios sæpè hic speciosus habetur:
Nam speciem facit hoc, quod placet illa sibi.
Cur Medea patrem mœstum scelerata reliquit?
Pulchrior an quoniam forsitan ille foret?

Non

Non erat id causæ, sed erat: quod ductus Jason
 Est aliis multo tensor in Venere. (res;
 Quid, quod amatorem Phædræ dedit? hæc eadem
 Hæc eadem Circen, callide Græce, tibi.
 Improba Pasiphaë fatis est: Exempla quid ultra?
 Illa viris spretis bruta nefanda subit.
 Ergò agitor, magnumq; puto placuisse Dianæ,
 Sed Veneri parvum complacuisse puto. (est,
 Quod tamen est dubium, nulli quia fida putanda
 Hoc quoq; sat magnum, militiæq; feræ.
 Inter & Aonii freta littoris, & loca Iberi,
 A Nilo ad Gangen solus in Orbe decor.
 Inter & Hippomenem, quæq; intemerata marito
 Funera mira dedit, sola stupenda viris.
 Non socii Herculei conjunx Trojana, nec illa,
 Quam rapuit Xerxes, talia membra tulit. (tus,
 Non quam Lyda dedit gens, nec quam Graja Juvæ
 Pro quibus est tantus motus utrinq; tremor.
 Non ea, quæ in vacuis scopulis succedit Eryne,
 Non Acheronteâ quæ regit arma manu.
 Pulchrior hæc illâ, cujus per sacra sacerdos
 Vota canens cultris insidiosa tulit. (hæc;
 Nec mihi, Phœbe, tuam similem certabis: in unâ
 Quidquid conspicui fata dedere, nitet.
 Nascitur inde labor meus, & dolor inde secundus,
 Qui variis mentem vexat utrinque modis.
 Mortales homines mortalia, duco, secutos,
 Possè aliquid tandem constituisse boni.
 Sed cœleste velint humeris qui sidus, Atlantem
 Ut referunt ulnis, & sacra tecta pati;
 Nil leviter cecidère viri, merisq; sub undis
 Tartareis, forsan esca fuere lupis.
 Quis mortale putet, sacram coluisse Minervam
 Hujus, in Empyreo quæ fata quippe polo est.

Ille, quod est ausus diam tentare Dianam,
 Incertus vires corrui inde suæ.
 Ille, quod in templo premeret Priameia canentē
 Funera, post abiens ultima fata refert.
 Ille ausus sacri natam vitare parentis,
 Cum rediit, rabidæ conjugis arma tulit.
 Ille ausus castam contra omnia jura puellam
 Tangere, per vacuas cogitur ire domos.
 Triptolemi fileo studium, Busirida pono,
 Et fileo, quot habent carmina prisca procos.
 Ergo ausim inter tot, vario discrimine functos,
 Unus item tantæ poscere sacra Deæ?
 Vivere malo miser, semperq; hæc dona vereri,
 Quàm miser in Lethen procubuisse gravem.
 Pasco oculos saltem: nec enim sublata potestas
 Hæc mihi: commune est posse videre Deam.
 Affectare quoq; est commune: hoc ducimur omnes
 Deniq; ad interitum, dira q; bella necis.
 Tantum ausit cupiisse minor, quantum altior ullus,
 Semina sunt rarâ parturienda lyrâ.
 Altera cura meos vocat ad fera bella furores,
 Promittitq; meæ religionis opus.
 Eja age, cura refert, docet hic te montis aprici
 Prospectus varias delituisse feras.
 Hic ubi nulla fluunt nebulosa cacumina, mons est
 Aptus apris nemus est, quod decet umbra jugi.
 Hic ubi trans Tanain gradieris, & arva Scytharum,
 Esse putes rhombos, milleq; plura lacu.
 Ast ubi Romanæ res detinuere Catonem,
 Disce, opibus plenos inde redire viros.
 Unica quin etiam Phœnix: tamen unica Phœnix
 Quis putet, ut nequeat, si cupis, illa capi?
 Quinetiam ex magno pisces nascuntur habentes
 Oceano humani in corpore quidquid habes.

Ar-

Arbor at in gelidis flores peperisse Britannis
 Sæpe solet, quorum est pars sua grandis humi;
 Pars quoq; strata solo est: avis hæc, nihil illa futura:
 Magna quidem, sed & hæc obsequiosa viris.
 Qui leo terribiles fremitus modò barbarus egit,
 Nunc agit in nostra murmura blanda manu.
 Ursus item paulò ante ferox, modò more virili
 Mansuescit: quid erit hæc tua diva minor?
 Hic ego bella paro, Veneremq; secutus amicam,
 Sùmo Cupidine à tela remissa manu.

AD REV: ATREBATENSEM CARDINALEM.

HAud magè difficile est, antiquæ ad tecta Sibyllæ
 Ire, atq; incolumes inde redire viros;
 Quàm vel te affari, & dextram conjungere dextræ:
 Aspice, quæ de te est spēsve fidēsve mihi.
 Aspice quid reliqui faciant, quando ipse Poëta,
 Pontificumq; decus, negligis ingenia,
 Nec tamen efficies, ne te venererq; colamq;:
 Nam vetus est amor hic, quo, tibi junctus, amo,

ALIUD EULOGIUM
 pro Delphino Venerio.

Venerius Venetæ Delphinus maximus urbis
 Splendor, in hoc parvo marmore tectus agit,
 Hic terrâ atq; mari, belloq; togâq; domiq;
 Atq; foris miro cultus honore fuit.

Ad

GEORGIUM TRAPESUNTIIUM CRETENSEM,
 quod rectè sequatur Cretensis
 patriæ mores.

GRæcule, Gnosiacæ pars abjectissima fecis,
 Dii tribuant annis præmia digna tuis.

E 4

Cre.

Creta tibi patria est, mendax, lasciva, proterva,
 Futilis, & molli nil nisi plena mero.
 Ergò venenosi sapiens mendacia partus
 Vana doces, petulans, vanaq; vita tua est.
 Hermogenem è Græco faciens Trapefonta latinū,
 Rhetoricen jactas constituisse novam.
 Sed nec diffiteor, nova sunt exempla, novello
 E cerebro, ingenio cretus es ipse novo.
 Virgilium interpres veluti rimaris Apollo,
 Judice te, vates, hic nisi, nemo fuit.
 Quin & Aristoteles diu est imitatus Homerum,
 Judice te, oh medicâ vena movenda manu!
 Perrectans igitur terrarum circuis orbem,
 Inventa est nusquam vita quieta tibi.
 Adriacâ quondam discedens urbe, relictus
 Undiq; in Adriaca mœnia sæpe redis.
 Hic tibi, post fractos annos, post Nestoris ævum,
 Vix cibus, & ventri vix datur esca tuo.
 Filius est laqueo rursusq; iterumq; vocatus,
 Natæ decrepito tres sine dote tibi.
 Vix auræ satis est: tus sisq; vomisq; & anhelas:
 Exta cadant, superest; viscera, Græce, ruant.
AD MALTOSELLUM MALATESTAM,
 quod amari à tanto Viro Marius
 Poëta plurimi faciat.
Dandalus hæc placido mihi nunc Ieronymo ore
 Rettulit, & crebrâ miscuit ora prece:
 Hanc Maltosellus misit Malatesta tabellam:
 Perlege, & haud justo vota cupita nega.
 Discurro, atq; legens mihi gaudeo, falsa licet sit
 Fama mihi, & meritis non satis apta meis.
 Sive humilem te cogit amor laudare Poëtam,
 Ignoto afficeris quod Malatesta mihi:

Sive

Sive tuas veri maleconscia perculit aures
 Turba, meæ imprudens obsequiosa lyra:
 Sive adeò es mitis, similis Malatella tuorum,
 Ut cunctos laudes, nemo reflexus eat.
 Quod tamen est tanto mea musa petita cliente,
 Auguror, esse aliquid fata datura boni.
 Sed spernenda cupis, viliq; locanda sub umbrâ,
 Quando diserta putas carmina nostra fore.
 Poscis ab Æmilio cytharâ, clypeumq; ab Homero,
 A rauco modulos, ex Acheronte deas.
 At mihi Pegasei non sunt pia numina fontis,
 Non sum, qui latice labra Heliconis agam.
 Non mea Calliope, nec Apollo negotia curat;
 Sola ambit laurus tempora nostra virens.
 At tibi, qui ingenium nulli vel laude secundum
 Solus habes, petitur quid mea rauca Chelys?
 Ut, velut Anteum domuit ferus ille gigantem,
 Marsia vel victus concidit, ipse cadam? (gentur,
 Ut, mea grandiloquo cuiquam cum scripta le-
 Ipse meos elegos riseris? ille meos?
 Malo filere, loquax tibi quàm doctisq; videri,
 Nemo mihi tacito probra daturus erit.
 Malo latere domi, quàm, cum fera bella movêtur,
 Hectorreo occurram miles inermis avo.
 Plus mihi, si timidū me quisquam dixerit, audax
 Quàm peream, cedit plus mihi vita nece.
 Suspicio esse tamen, rursusq; iterumq; volutans,
 Fortè aliquid, ductus quo mea parva petis.
 Fastidit stomachos cibus inclytus imperiales,
 Delicias post tot Rex quoque gustat olus.
 Quotidiana tibi sunt fercula, nectare plena:
 Ex alœ affectas fercula amara dari.
 Plena domus libris, redolent tua tecta Poësin (est.
 Totagravem; hanc gliscis: crassa Minerva meæ

Sed dabitur, quia sic tandem petis: excipe latis
 Me modò luminibus, & mea parva lege.
 At quid præcipuè incipiam? unde hic ordiar? ante
 Extulerim à proavis, & genitore tuo?
 Magna canam, vulgata tamen: Malatesta Novellus
 Quem latet, egregios si tenet ille viros?
 Hic neq; Grajorū cuiquam, nec ab Urbe profecto
 Romuleâ meritis ritè secundus erit.
 Hunc Bellona parens peperit, pater unus Apollo
 Hunc genuit, nutrix diva Minerva fuit.
 Urbanis superat rebus Malatesta Catonem,
 Urbanis Ithacum vincit & ille modis.
 Religione Numa est, gener est pietate Latini,
 Alter Aristides Iustitiâ & titulis.
 Infractâ Curius, constanti mente putandus
 Fabricius, donis Octavianus erit.
 Quæ referunt Cyrû, memorant quæ Cæsara: callet
 Ille hominum mores; is tenet ipse libros.
 Doctus, fortis, amans æqui, Malatesta modestus,
 Et sapiens, superat nomina mille Ducum.
 Huic patruo junctus, satus es patre, sæcla tulere
 Quem patruis animo Cæsareo similem.
 Nam q; Sigismundus patris est Sobrinus, & unus
 Cretus Marte, gerit Mars ubi bella ferox.
 Cedit Alexandro non ille, nec acer Achilli,
 Sive petas animum, robur & ipse petas.
 Fingitur Herculeis domitus leo & hydra lacertis,
 Cerberus, & Stygio quæ latet umbra lacu.
 Non Gerion tantus, Libyci non monstra Gigantes
 Tanta, nec Harpyiæ tam fera turba quidem;
 Quot genera hostilis pugnae, quantosq; tum ultus,
 Quanta Sigismundus fuderit arma Ducum.
 Quid memorem ingenium? quid mentis munera
 Hujus & excelsos quid recitabo modos? (diæ?
 Quodsi

Quodsi
 Ille fo
 Præstar
 Vota
 At quia
 Laud
 Lætar
 Posce
 Quodsi
 Est a
 Nam si
 Perge
 Crede
 Singu
 Quam
 Nem
 August
 Calli
 Astubi
 Spera
 Perge a
 Inver
 In tua
 Belle
 A

Frustr
 Q
 Hostile
 Est o
 Attribi
 Fran

Quod si prisca forent majorum tempora, cultus
Ille foret, qualis Julius antè fuit.

Præstaret divos domus & Malateſta colendos,
Vota forent patruis plurima miſſa tuis.

At quia majorum non es minor ipſe futurus
Laudibꝰ, hoc tantum carmina noſtra queunt;

Lætari, & longam tibi dent pia numina vitam,
Poſcere; ut & patruis par, Malateſta, ſies.

Quod ſi fata velint mihi condonare, putabo
Eſſe aliquid, cur nos forſitan ornet honos.

Nam ſi tanta mei tibi carminis eſſe voluptas
Perget, eris miſis lux ſatis apta meis.

Crede mihi, nihil eſt, cur non rimemur ad ungvè
ſingula, cur calamus evolet atque manus:

Quàm quia nemo hodie ſuccurrit in orbe Poëtis,
Nemo favet: ridet carmina vulgus iners.

Auguſtus quia non eſt ullus: at ipſa fameſcens
Calliope eximii quid recitare queat?

Aſt ubi tu tandem Vatum vexaris amore,
Sperandum eſt, aliquid fata datura boni.

Perge age, & inceptis votis te ex corde dicato,
Invenies olim, quo celebrè, modum.

In tua ſæcla iterum divina poëmata ſurgent,
Bellerophontæ ſis modò cultor aquæ.

AD HERCULEM MALVITIUM,
fruſtrà uſum armis in
victam.

FRuſtrà humeris parmam cingit, lateriq; trilicè,
Qui nec habet, cum quo bella ſevera gerat.

Hoſtilem vitare manum, captamq; tenere,
Eſt opus ut cupiat, qui ruit enſe ferox.

At tibi capta phalanx, belloq; ſubacta juvenus
Franca: quid eſt igitur bella, neceſſe, geras?

Par-

Parce igitur cytharis, si deest tibi causa canendi,
Non metuunt raucos tradere jure modos.

AD GINEVERAM FLORENTINAM
Speciosissimam.

AUt mihi, diva, tuus pateat, Ginevera, vultus,
Quo veluti Phœbus nubila quæq; fugas:
Aut ego supremi patiar tormenta doloris,
Atq; Acheronteo dem mea fata seni.
Nam sine te nihil est grati mihi, nulla puella
Chara mihi, sola es vita salusq; Marî.
Te redeunt visâ pulsus mihi: visa futurae
Restituis vitæ nympha cupita dies.

AD LAURAM VENETAM
Nympharum Decus.

UT tenebris Phœbo redeunt veniente fugatis
Lumina, in Occiduo quæ latuere sinu.
Sic ubi nympha redit mea, sidera visa sororq;
Solis, & æthereo quidquid in orbe boni est.
Et veluti Dictynna choros comitata Dearum
Eminet, & gestu vincit & ore Deas:
Sic mea Laura alias specie & virtute puellas,
Omnibus una prior, quæq; secunda sibi est.



JO: MARI PHIL.

Ad Illustrem

SIGISMUNDUM MALATESTAM,

Arimini Principem,

Epitomorum

LIBER TERTIUS,

& in eum Præfatio.

SI, quib' à Superis stimulus concessus Arethes,
 Par sit & ingenium, pars mihi pulchra foret,
 Scilicet est nobis laudis famæq; libido,
 Deficiunt vires: debile pectus amat.

Ne tamen obtusum jaceat, ne dormiat excors,
 Sollicitat variis munera clara modis.

Sic igitur satyris, elego nunc carmine tentat,
 Num valeat vates posteritate frui.

Magna satis posco, satis hæc sunt ardua parvis
 Dona, nec est dignus quilibet his meritis.

Reddere se notum Ducibus, palmamq; mereri,
 Non est exigui nomen honosve viri.

Quidquid agit, quicumq; aurâ nutritur honestâ,
 Nititur, ut vivat mille per ora virum.

Quod nihil est aliud, quam factis vivere dignis,
 Quam celebrem cunctis urbibus esse diu.

Perlege quæ veterum malis, Malatesta, virorum,
 Omnibus hæc pateat regula vera locis.

Nec quæquam excipio, nisi quem fucata voluptas
 Protrahit, ut simulet esse, quod esse nequit.

Haud igitur nostrum est, laudum sperare triumphos,
 Sed tentare nihil maxima facta, nocet.

Efficimur magni, quando hæc nos clara libido
 Incitat, est magnum, poscere regna, Duci.

Nam

Nam qui summa petit parvus, grandescit, ut audeat
 Grandior efficitur parvus, ut alta petit.
 Quid nocuit Cajo fastigia gliscere rerum?
 Quid Mario nocuit Consulis arte frui?
 Quid nocuit vati tentare pericula laudis,
 Sive putes Grajum? sive putes Latium?
 Ille oculis quanquam caruit, non mente superbâ
 Sangvine si caruit, non Maro & ingenio. (di)
 Quid referam Marcum? quid septem lumina mun-
 Quale Solon fertur cum sociis aliis?
 Dixerit hic aliquis, tanta est audacia præceps,
 Ut queat è minimis maxima sæpe dare.
 Non ego contemnam, si quis Virtutis anhelat
 Præmia, si modò sit dignus ad ipsa trahi.
 Tantundem ingenii minimis dant fata, serenos
 Et faciunt, magnos quàm Deus ipse solet.
 Deest tantùm natura parens, quæ non ea cunctis
 Præstat: at imparibus corpus & arma viris.
 Huic dedit egregium corpus, faciemq; venustam,
 Qualis erat pulcher vasa secutus Hylas.
 Hunc voluit monstrum membris & pectore tædo,
 Gnosiacæ perhibent qualia membra feræ.
 Attamen in pulchro summerget corpore clarum
 Ingenium, qualis est Ganymedis honos.
 Adjiciet turpi mentemq; animumq; severum,
 Qualis erat Statii gloria doctiloqui.
 Hæc igitur peccat, si quid peccare parentem
 Dicere fas fuerit, non bona mensa modis,
 Hæc eadem voluit nos, quæ non possumus, ultrò
 Appetere, & quæ sunt prompta, putare minùs.
 Qui vult magna, nequit: non curat maxima, qui
 Deficit hic, illic deficit atq; aliquid. (quit)
 Sic mihi, qui famæ ingenti modò vexor amore,
 Non satis ingenii est, mens minùs apta lyra.

Dixeris Isocratem, sibi quod natura negavit,
Ingenium & gestus constituisse suos.

Rarus erit, qui tanta queat: vix ipsa Senecta
Id faciet tandem, si poterit fieri.

Ast ego qui teneris vix sum vir factus in annis,
Quid valeam senio nomina digna gravi?

Hoc doleo, hoc crucior, ne quid satyrisve lyrisve,
Ne quid & imparibus efficiam numeris. (ta

Quantum blæsa sonat lingua, & mihi carmina quã-
Dat calamus, tantum scribo jocosq; simul.

Si possem majora, forent, quos nostra Camœna
Duceret ad superos nomine & arte polos.

Nec mihi cantanti tua, Præstantissime Princeps,
Excideret virtus, ingeniumq; Ducis:

Sed quia pauca mihi confert mea sacra Thalia,
Fer patienter, agi carminibus modicis.

Expectare igitur liceat, tuba quando phalanges
Heroum in nostro carmine constituet.

Nunc quia diversis tibi dedo Epitomata libris,
Tertius ecce subit jam tua tecta liber.

AD PIUM SECUNDUM PONTIFICEM
Maximum, quod ejus Creatione spe-
randum sit Turcorum excidium.

PER te Roma suos iterum præclara triumphos
Accipit, & fient sæcula prima viris.

Per te, dive parens, Grajorum perdita regna
Restituentur: erit Græcia, qualis erat.

Per te, sancte parens, populiq; ducesq; resurgent,
Quos, veluti pecudes, turba nefanda premit.

Perte summus honos Latioq; orbiq; paratur,
Vere velut, florente te Duce cuncta simul.

Hactenus occubuit quidquid spectabile terrâ est,
Quidquid agit cælum, quod tenet unda sali.

Solus

Solus es Italiæ splendor, qui regna Lavini
 Dirigis, & prisca jura decusq; petis,
 Solus es, in cuius manibusq; animoq; quiescant
 Sidereo quotquot dat Deus astra polo,
 Tu genitum Majâ tractas, tu sacra Dianæ
 Dona foves, Vestæ munera pulchra colis.
 Ex te Phœbus habet Laurum, veteresq; Poëtas:
 Ducitur antiquo turba sepulta patre. (câ,
 Non minor ingenio es, minor es non mente pudi-
 Non minor eloquio, non minor ipse Lyrâ;
 Quàm pietate, fide, meritisq; & laudibus æquis,
 Justitiâ & recto; Totus es ergo pius.
 Te superi tribuere viris, Pater optime, nostris,
 Auxilium interitus, Subsidium exitij.
 Nam quæ solus agis, tentas, meditaris, & effers,
 Humanos aditus vincere diva puto. (que,
 Sive etenim speculor, quanta est gravitasq; modus-
 Quisq; tibi gestus: dignus es ipse coli. (unus
 Seutantum contemplor opus, quantum omnibus
 Incipis in populis, es novus ipse deus.
 Est divinus amor tuus hic, divina voluntas,
 Inq; fidem Christi par tibi nemo Pio.
 Tanta quis ausit adhuc renovare pericula rerum?
 Perdita quanta potest reddere regna Pius?
 Quale procellosum Boreas mare conflatur acerbus,
 Certa nec est nautis spes, vorat unda viros;
 Si Zephyrus subeat, nimbis ventisq; remotis,
 Ille potest fractas vivificare rates:
 Talis es in cunctos, quos cæca libido vehebat,
 Quiq; jugum passî flagitiumq; ferox.
 Nunc meliora queunt, Duce te, sperare laborum
 Præmia, & intentas ad pia tecta manus.
 Exornat sol quale diem, tu solus adornas
 Nos miseros; quo vis lumine majus habes.

Perge

Perge age chare Deo, cunctis celeberrime sacris,
 Et sequere incœpti muneris arma libens.
 Non deerūt, quæ cuncta petis, quæ singula poscis,
 Namq; favent superi jam, mihi crede, Pio.
 Rex tibi quisq; suis parebit viribus ultrò:
 Quilibet excipiet Dux pia signa Crucis.
 Nec mirum; quæ digna queant, vel sanguine fuso,
 Præmia, quanta velis, reddier ulla Deo?
 Pro nobis qui dira tulit tormenta, necemq;
 Infaustam, & sævum ludibrii omne genus.
 Quis pater in natos? fratres quis frater in ullos?
 Quis socer in generos? inq; suos proavus?
 Quis fuit in socios? in amicos quis fuit usquam
 Talis? tam calido pressus amore virum?
 Qui genus omne crucis tulerit, mortemq; severã?
 Qualia sunt Christo cuncta probata Dei.
 Quale igitur munus tanto pro munere reddant
 Huic Homines, quamvis vulnera quæq; ferant?
 Turpius esse nequit mortis genus, accipe quod vis
 Vulnus, eo interitu, quo rapuere Jesum.
 Morte nec hæc igitur pensanda est mortis imago,
 Quando nec est, quæ sit æquiparanda, lues.
 Si vitam duxisse putent satis esse pudicam,
 Et setæ, & stipulæ tradere membra gravi:
 Nec faciat satis id, quando hic Sanctissim⁹, in quo
 Nulla fuit culpa, sat graviora tulit.
 Quando fame, atq; siti, langvore, algore laborans,
 Semper erat risus plebis & ira malæ.
 At nec eo melior quisquam, nec sanctior ullus,
 Non homo qui tantum, sed Deus unus erat.
 Ast adeò affectus nobis fuit almus Jesus,
 Ut tulerit, quidquid vulneris acre tulit.
 Ergò quis est adeò vecors, maledictus, inersve,
 Qui grave ferre aliquid, si jubet ille, putet?

F

Et

Et quoniam vicibus frueris, Pater Optime, Christi,
 Et regis in terris tradita regna Petro:
 Quis dubitet parere tibi? cruce quis quoq; captâ
 Id metuat, quod non horruit ipse Deus?
 Tanto etiam magis hoc sperandû est jure futurû,
 Quod tua nos pietas reddit in arma pios.
 Nam veluti exemplo majorum errare maligni
 Exultant, quando est, qui regit arma, malus:
 Sic monet & reliquos Regum intemerata, pudica,
 Sancta q; Relligio, qualis in ore tuo est.
 Pendet ab ore quidem pietas tibi, cuncta q; virtus
 Cum, quidquid loqueris, id sapit omne Deum.
 Quis tibi non faveat? tibi quæ non prospera vota
 Succedant? quis te non comitetur honos?
 Perge modò, atq; lupum, nocuit qui crudus ovili
 Usq; tuo, hunc penitus tolle hominum è medio,
 Grande opus exagitas, miracula maxima tentas,
 Sed nec difficile est id tibi: perge modò. (dam
 Cætera, quæ Vates de Alcide atq; Hectore quon-
 Cæsaribusq; canunt, jam cecidère loco.
 Ænæ exuperes naves, regnumq; Lavini:
 Solus eris, qui sis gloria Cæsaribus.

AD CL. JURISCONS. ANTONIUM PRATUM,
 quod opus Feudorum in novam edens
 formam, summam quaesierit
 laudem.

GRatulor, Antoni, libroq; tibiq; tuisq;
 Civibus atq; mihi gaudeo Felsineis.
 Ille sepultus erat, modò ducitur esse renatus,
 Hinc autem accrescit nomen honosq; tibi.
 At tua cuncta domus titulo insignita decenti est,
 Militiâ nati, Prate colende, tui.

Ci.

Civis es, hos cives munus concernit & omnes,
Et Marium, qui te diligit egregiè.

Jure igitur Benedictus amat te, & jure Morandus
Ingenium in laudes dedit omne tuas. (est:

Nam velut ipse hominũ cultor fautorq; proborũ
Afficitur tibi sic, atq; tuis meritis.

Hunc etiam meritò ornavit clarissimus ille
Cæsar, & affecit mirificis titulis.

Qui, quoniam est rarus civis, rarissima virtus
Est sibi, rarus honos, raraq; fama sibi est.

AD ILL. COMITEM GALEAZ MARIAM,
quod rectè imitetur suos parentes
præstantissimos.

GRate Comes superis, cuncto memorabilis ævo,
Quæ tibi pro meritis carmina digna dabo?

Est tibi nunc ætas prior hæc, Comes inclyte, prima
Vix lanugo tibi, munera prima refers.

Incipis ut primos nunc nunc adolescere in annos,
Par tibi pulchra fides, ingeniumq; tuum.

Quale matutinos confurgit Phœbus in ortus,
Atq; coronatur lumine tota dies.

Talis es, & primis studiis caput evehis astris,
Teq; facis Phœbo, splendide ephœbe, parem.

Quare age quid poterit te dignũ in carmine dici,
Quod bene sit meritis parve decensve tuis?

Forma tibi, qualis fuerat Ganymedis, & illa
Hippolyti qualis, quæve sepultus Hylas.

Quæ Polydorus erat specie, Narcissus, & illa
Quæ fuit Alcides, surgis in Orbe Comes.

Quamq; sit ingeniũ præstans, docet inclyta forma:
Qualis es exteriùs, talis es intùs enim.

Es similis patris, quo non est Principe quisquam
Pulchrior, est, nullus Principe Marte prior,

Mars igitur tecum est, nodosa & robora surgunt
 Illa tibi, quibus es stirps bene digna patre.
 Nil natura tuo clarum mage pectore finxit,
 Vel probitas petitur, vel petitur species.
 Phœbus in ore tuo est, frontem colit alma Diana,
 Cæsaries radii, sidera sunt oculi.
 Ore vehis nectar, sub dulcia verba pudica
 Est gravitas, sapiunt dicta modesta senem,
 Humanus quocunq; prior, gestuq; benignus,
 Munificus, liber, integer, atq; sagax.
 Te, Galeaz, nihil est toto præstantius orbe,
 Te nihil excellens egregiumq; magis.
 Otia lascivis nec vana moraris alumnis,
 Nec Veneris genito, quem fera turba colit.
 Deditus es meritis laudum, studiisq; probatis,
 Atq; futura paras nomina in orbe tibi.
 Rhetoricen doctus, vatumq; volumina noscens,
 Eloquio clarus, ingenioq; vales.
 Quæ tibi quàm profint artes, te Cyrus, & ipse
 Edoceat Cæsar, doctus uterque Ducum.
 Namq; ubi cognorunt rem gestam & facta priorū,
 Commoniti, regnis ii meruere frui.
 Et fastum, & pompas demum brevis auferet hora
 Regibus & Ducibus: Sola manet probitas.
 Hanc sequeris Galeaz, moresq; imitare Marias,
 Quos proavi, & genitor trivit in orbe tuus.
 Dignus es ergò, viri veluti quem numen adorent,
 Quem celebrent Vates, quem colat historia.
 In numero quorum tibi me commendo poëtam,
 Quandoq; te veneror, me quoque, die, fove.
 AD ILL. FRANCISCUM SFORTIAM,
 quod Mantuâ, quò ad Summum Pontifi-
 cem profectus erat, citius redeat.

O Decua

O Decus Insubriæ! duræ spes una ruina!
 Quando paras Turcos dilacerare feros!
 Sfortia, qui cunctos Italos, Regesq; Ducesq;
 Exuperas, placidâ carmina fronte lege.
 Carmina, quæ vates, Marius tuus, edidit horâ;
 Quæ quoq; cum vellet scribere, vix poterat.
 Exanimem populi pietas me reddidit hujus,
 Turba mihi gemitus movit & ipsa graves.
 Atq; puellarum chorus hinc me flere coëgit,
 Hinc calamum eripuit urbs tua mœsta meum.
 Sôlus eram tutor, lachrymas qui sæpe levabam,
 Atq; dolens aliis sæpe medela fui.
 Spem simulans vultu, sævû premo corde dolorē:
 A reliquis quid enim sit mea cura minor?
 Sed quæ causa fuit, ratio quæ fletus amari,
 Carminibus referam: tu modò quæso veni.
 Tempa pius Dominus, Dux Sfortia, nostra vide-
 Afacie cuius pendet utrumq; jubar. (bar,
 Quemq; coronabant juvenumq; senûq; catervæ,
 Sideribus mediis Phœbus ut, ille fuit.
 Hinc Comes ille, Ducis genitus, cui pulcher Jason,
 Cui formosus Hylas cesserit in specie.
 Qui similis tanti celebris simulacra parentis,
 Cum vir erit, quando est nunc quoq; dign^o, aget.
 Qui, juvenis quanquam est, primosq; adolescit in
 Moribus ætatem vincit & ingenio. (annos,
 Hinc reliqui nati, radii velut, inclyta cœli
 Numina quos pueros astraq; credo poli,
 Adde graves sancti Patres vexilla Senatus,
 Quos comites lateri Dux jubet esse suo.
 Adde hominum species, quas nobilitata juvenus
 Laudibus, & clarâ stirpe creata, gerit. (tentes?
 Quid memorem pompas? aurum? gemmasq; ni-
 Quando eques aut pedes est pulchra juvena
 Ducis? F 3 Quid

Quid recolam doctos, quib⁹ affluit undiq; turba

Quando meus Princeps in mea tecta manet?

Heu, Mediolanum, miserum me! Sfortia quando

Hincabit: ha! citius, Sfortia die, redi.

At nos quid Superi, funestaq; fata sequuntur?

Quando alio abscessit Sfortia, noster honos?

Quæ mulier non est, quando hic est tuta, mariti

Sit velut in gremio, pectore sive patris?

Tunc templa, atq; vias, fastus, ludosq; videmus,

Imus & ad Dominæ regia tecta piæ. (rago)

Blanca etenim quotquot videt Hesperus alma

Quotq; Oriens, Maria vincit in orbe Deas.

Sive petas formam, superat formosa Dianam,

Estq; Minerva piæ Principis una comes.

Nunc morimur miseræ, solæque, orbæq; puellæ:

Nec Dux, nec Domina est: templa domusq; va-

cant. (Urbe)

Nos populus, quando est Dux hæc præclarus in

Vivimus ut Reges: singula lucra fluunt.

Huc miles creber, volat huc quacunq; viator

Ex regione: rotant undiq; quanta petis. (te)

Tanta hominû plebs est, gens, vulgus nobile, pot-

Ut vix excipiant corpora quæq; virûm.

Utq; dies solo splendet fulgida sole,

Hoc abeunte, subit luna, secunda salus;

Si vel uterq; latet, sunt horrida singula, opaca

Nube manet, somnos quæ ferat, umbra, graves

Sic, ut uterq; abiit Dux, Sfortia, Blancaq; Conjux,

Et Phœbi, & Phœbes luxq; comæq; vacant.

Nos fumus ut cæci, gelidâ requiescimus urbe:

Quando erit, ut proprios viset uterq; lares?

Hæc alii, ô Princeps! sed ego majore laboro

Hic gemitu, est alia causa mihi, & gravior,

In domibus illæ propriis sua pensa fatigant:
 Illa patri, illa viro cura, laborve suo est.
 Artifices cuncti sua quæq; negotia curant,
 Huic opus est, illi crastina parta dies. (tat:
 Quotq; hominum species, tot singula quisq; volu
 Cuiq; suus sponsor, spesq;, quiesq;, labor.
 Contendunt meliora illi, quando unus in urbe es,
 Tunc magis est lucri, tersaq; cuncta magis.
 Ast ego solus ago, miserum me nullus in urbe hæc
 Adjuvat: hic nihil est, quod magis ipse velim.
 Omnia cum desint, tamen omnia curo vicissim,
 Nunc hoc; nunc illud; spes mihi nulla mei.
 In te totus amor, mea q; in te tota voluptas,
 Et spes, & ratio tu mihi sola mei es.
 Tu via, tu pater es, sine te sum cæcus & orbis,
 Et sine te nihil est, quod mihi dulce putem.
 Nec tamen ipse alios imitor: levo iuctibus illos,
 Solor & interdum, quod malè turba dolet.
 Inquo: quid fletis, vesani? maxima Princeps
 Noster agit, non est par reliquis Ducibus.
 Non lasciva terit frustra is sua tempora, non est
 Iis similis, quibus est nullum animi studium.
 Digna parat titulis, neq; quos hæc sæcla filebunt,
 Quos neq; posteritas ulla tacere sciat.
 Pontificis parèt monitis, Turcumq; prophanum
 E medio sancti vult gregis ejicere.
 Solus enim Dux hic inventus fidus Achates
 Æneæ est; solus, qui regat arma Pii.
 A teneris annis Martiq; Joviq; dicatus,
 Quæ sunt Martis agit, quæ quoq; signa Jovis.
 Ergò filete, viri, vulgus, pulchræq; puellæ,
 Namq; suos viset ocius ille lares.
 His alios solor; sed me magis urget acerbè,
 Quando abes hinc: Ergò, sæpe cupite, redi.

AD MAGNIF. GASPAREM VICOMERCATUM
Comitem Valentiaë, quod cogat citius
redire Ducem.

PRincipis Angvigeri comes, ò Comes inclyte,
Qui Ducis excelsi maxima facta regis: (Gaspar,
Quid non cogis, amas patriam si fortè querentē
Ut redeat noster Sfortia, coge, precor. (ratu
Obtunde hunc precib⁹: quid enim tam longa me
Tempora in iis lacubus, Mincius unde fluit?
In medios amnes, ranarum in, tecta, paludes
Quid facitis, quibus est Urbs ea? tantus honos
Est sua cuiq; domus, conjunx sua quemq; maritū
Hic cupit, hinc vobis, quid quid in orbe boni, est
Et quem nulla vocat conjunx, speciosa puella
Hunc ciet: ha! quæ vos cura severa tenet?
Huc, huc ò juvenes! properate, senesq; beati:
Si modò vos estis, desit in urbe nihil. (dire,
Huc, Comes, Angvigerum Franciscum, hortare, re-
Est sine quo cæcus, quisquis in urbe manet.
Et sine quo nihil est, Marius quo gaudeat, ille est
Spes mea, vita, salus, noxque, diesq; mihi.
Hunc veluti Sidus specto, ceu numen adoro,
Hoc nihil in toto est dignius Orbe Duce.
Cæsare majus habet pietatis munus & æqui,
Alcidem superat, Hectora, & Æacidem.
Hunc igitur manibus pedibusque obnixius ipsum
Consilio & precibus coge, redire paret.

AD ILL. ALEXANDRUM SFORTIAM,
quod conetur fratrem suum, Medio-
lani Ducem, redire properè.

Jam satis est: satis est, trivistis tempora multa
Hic, ubi vos cingit Mincius, atque lacus.

Numa

Num calamos forsàn cupitis resonare palustres?

Atque lutosà vagi prata tenere vadi?

Aut potius pisces capitis? longæque colubræ

Angvillas comites? atque aqua sola placet?

An magis occentus delectat vestra canorus

Corda? solent psalmi lætificare animos.

Quæ vos cura potest vexare? & causa morari,

Ne libeat vestras denique adire domos?

Num vexilla parat noster Dux Sfortia quæquam

In Turcos? acies & ciet ergò feras?

Singula rimari cupiat qui prorsus ad ungvem,

Deest nihil hic; sunt hic, quæ mage pulchra ve-

Hic spaciosus ager, riviq; undæq; fluentes, (lis.

Quas vitreo gramen circuit ore ferax.

E lacubus pisces, Ticinoque Padoque vorandi,

Vulcani artifices arma gerenda sciunt.

Copia cunctarum tam magna & splendida rerum,

Ut sit opus, vos hæc velle aliunde minùs.

Quod si fortè Ducem graviora negotia nostrum

Detineant, precibus flectere sæpe potes.

Hic sumus, ut cæci: spes est mihi sola voluptas,

Hæc & Alexandri Principis ora vocat.

Nam veluti Princeps meus est hic Sfortia Cæsar:

Meccenas lateri Cæsaris ipse mei es.

Et veluti nihil est sine Cæsare dulcis in urbe hæc:

Sic sine te nihil est dulcis in urbe mihi.

Ille meus Rex est; meus es tu deinde patronus:

Quantum igitur doleam, vos abiisse, puta.

Sed sperare licet; spes est mea sola medela:

Consilio & precibus flecte, rogo, ut redeat.

AD CAROLUM CREMONAM VENATOREM,

quod cogat consiliis cunctis, redire

ociùs Principem.

CArole, te perdix timida, & te pressa coturnix
 Expectat: nemus est, silvaque grata tibi.
 Te lepores metuunt, cervique, aprique feroces,
 Et quidquid glandes, pascit & herba ferax.
 Nec minus es nobis placida cum fronte petitus,
 Quam putet horrendum te fera quæque ferum.
 Namque & amicitia tam jura sacrata tueris,
 Quam capreos laceras, tigris & acta jacet.
 Fac, citius redeas: facito, ocius optimus iste
 Dux veniat, sine quo nil Duce dulcis adest.
 Sit quoque Gentilis miles, Simonetta reductus,
 Nam gemit absentem pulchra puella procum.
 Interea in medias me sæpe memento paludes,
 Et memor esto tuæ Palladis auriferæ.
 Meque; aderit dum forte locus, dumque; hora monebit,
 Commenda excelso, Carole chare, Duci.

AD JACOBUM GRATUM, EQUITEM MAGNIF.
 quod, veluti ejus abitione doluit, sic
 reditu lætatur Marius.

Quo mihi sublato gemui, redeunte Jacobo
 Lator: Ades tandem, sæpe cupite, mihi.
 Civibus & patriæ Gratus, nobisque tuisque
 Expectatus ades, pignoribus, domui.
 Mitemus jam thura focis, vituloque litandos
 Constitui superos, sacraque templa Dei.
 Mercurium, eloquio quite donavit, honoro;
 Ingeniumque tibi qui dedit, oro Jovem.
 Quoque; duce es sapiens, Clarii jam numen adoro:
 His pecudes albas tradere pergo deis.
 Atque; Hecate nigras capras, hujusque; marito,
 Quando tibi lucem sivit uterque tuam.
 At Christo & Mariæ, quibus es fautoribus ad nos
 Perductus, grates reddere pergo suas.

Chri-

Christe, potens cœli, terræque, Erebiq̄ue, saliq̄ue,
 Qui struis eloquium, qui facis ingenium;
 Quo fortuna Deo minor ornat honore merentes,
 Inq̄ue altum minimos protrahit una viros.
 Nomen ubiq̄; tuum laudetur, & annua solvant
 Vota tibi, quibus es, Felsinei, auxilio!
 At tibi, sancta hominum custos, populiq̄; cadentis
 Servatrix Maria, sint sacra, digna deâ!
 Sola ubi Felsineum redeuntem ad limina civem
 Duxisti patriæ, quem cupière sui.
 Attu, chara Deo, præclara Bononia, gaude,
 Quando tuâ tantus civis in urbe manet.
 Frustra ubi nil pensas, mandâsve, jubêsve, Jacobo;
 Exequiturq̄ue velis quidquid, is, & properè.
 Namq̄ue ubi Pontificis subiit modò recta, secutus
 Cuncta fuit, patriæ quæ petit imperio.
 Fabricium id solitū referunt, Curiumq̄; vetustum:
 Auspicio ergò pari vive, Jacobe, diu.
 Et fruire optaris, Marii & memor esto poëtæ,
 Usq̄ue adeò afficitur quando, Jacobe, tibi.

AD CL. VIRUM, THOMAM REATINUM,
 Ducalem Consularem, quod curet di-
 ligenter rem Marii.

Quanta Reatino de me sit cura Poëtæ
 Atq̄ue Equiti aurato, cognita cura mihi est.
 Quidq̄ue potest sancti Pater unus & ipse Senatus,
 Non minor, at major, noscimus omne satis.
 Ille valet lingvâ rabidos mulcere leones,
 Quâ fluit, ut quondam Nestoris ore, favus.
 Ingenioq̄; Ithacum superat, ratione Catonem,
 Dulcis ut & prudens, est gravis ipse simul.
 Ille tenet quascunq̄; hominum legesq̄; viasq̄;,
 Quidquid res capiat publica, sive domus.

At-

Atq; hominum mores, cœliq; arcana: quid, in quâ,
Vel tellure viget, vel vorat unda sali.

Quodq; polus nutrix post æthera pulcher uterq;
Quidquid & Antipodes, nostraq; pascit humus.
Ille animi & studii, rerumque pericula mille
Orbe dedit, quis sit, phœbus & umbra, tenet.

A Nilo ad Gangen, Rhodanoque, Padoque Reatis
Fama volat: virtus cognita quippe viri est.

Quaque oritur Titan, quaque occidit ille, latebræ,
Hunc nemora, & villæ, castra, domusque sciunt.
Omne genus gentis vidit, regionequè Thomas
Abfuit à nullâ: vidit utrumque Jovem.

Qui mores igitur cunctorum novit & urbes,
Est meritò, cuius sidera tangat honos.

Quando igitur de me, cum possit plurima, curat,
Quam bene sperandum sit mihi, sat video.

Sed memoranda mihi est mea res quoq;: Sæpe Du-
Pendet enim manibus maxima cura viri. (calis

Quare age chare Deo, populis gratissime, Thoma,
Nostra memento: licet sint graviora tibi.

AD BARTHOLOMÆUM CUSANUM,
Protonotarium Apostolicum, quod rectè
suos parentes claros imitetur.

GRatulor esse tuo te, Bartholomæe, parente,
Matreque te dignum pignus in Orbe tuâ.

Ille senex mores præclaros novit & astus,
Eloquio præstans, & pietate sagax.

Illa pudiciâ superat quascunq; priores,
Castaque matronas exuperat veteres.

Ornasti fratres, quorum alter & ipse parentes
Extulit, atque alius plura daturus erit.

Quosque tulit generos fortuna, Deusq; parentum,
Ornasti officio, Bartholomæe, tuo.

Nam-

Namque & adhuc puer es, modò qui dimittis e-
 Factus es Antistes, Relligionis honos. (phœbos,
 Non nisi ab ingenio processit id omne modesto,
 Non nisi constanti dantur & ista viro.
 Non nisi qui laudes meruit, titulosque viriles,
 Esse solet Summi Præfulis in latere.
 Non igitur quondam trivisti tempus inane,
 Quando puer studio factus es antè vigil.
 Gratulor ergò tibi, mihi gaudeo: tu modò cœpto
 Perge gradu, & Cœli sidera tange manu.
 Difficile id tantùm est, tibi quod videatur: at omne
 Id facile est, quod tu, Bartholomæe, velis.
 Sola potest virtus, quæ te nunc vexit in altum,
 Te super æthereos tollere dia lares.

AD JOHANNEM STEPHANUM COTTAM,
 quod, cum Mantuam cum Principe sit
 profectus, eâ de re scribat.

Cotta nec immerito tanto spes una parenti,
 Atque decus matri lumen honosque tuæ.
 Qui puer in Latii contendis limina Vatum,
 Expectat lauri ferta venusta coma;
 Ingenio quando potes, inclyte Cotta, beato,
 Lingvaque mellifluum mittit ab ore favum.
 Incipe, sacra Pii modò qui pia facta Camœnis
 Ornasti, hujus item dicere dona lyrâ.
 Dic quibus excelsum meritis & laudibus æquis,
 Ille Ducem Angvigerum cepit in urbe modis.
 Et quibus hunc ipsum Ludovicus Marchio vidit
 Ordinibus, naves quotq; fuere simul.
 Et quibus oravit Franciscus Sfortia verbis,
 Quæ quoque Pontificis verba fuere Pii.
 Nomine nam nostri Ducis hæc dixisse Philelphum
 Non latet: at quæ sint cœtera, scire velim.

Sedeque quâ fuerit Dux Sfortia, quâ Venetorum
 Orator, reliqui quisve fuere locis.
 Quis prior incœpit? primo cui reddidit ille?
 Denique quæ rerum tradita summa fuit?
 Quisq; erat ornat⁹, gemmæve, aurumve virorum?
 Urbs quoque quid præstet Mantua tota boni?
 Hæc ego cum cupiam seriatim singula nosse,
 Tum gradibus cupio singula nosse suis. (credas
 Tu potes hoc meminisse satis, modò non grave
 Hoc onus: ah calamum, Cotta benigne, cape!
 Quid facias melius? quid carmine tertius ullo
 Dixeris? aut quæ sit materies prior hæc?
 Nam si pulchra putas ea, quæ Pius optimus audet;
 Pulchra quid hæc dubitas dicta putanda fore?
 Si quoque Dux superat Franciscus Sfortia cunctos;
 Exuperent, opus est, quæ facit ille, Duces.
 Adde, quod in tanto cœtu celebrique coronâ
 Defuit egregii conspicuique nihil.
 Quotque hominum mores vidisti, & dicta canora,
 Tot tibi Virtutes te rapuisse, scio.
 Quæ si ritè refers, tantum est audire necesse,
 Quantum Ithaci, Trojæ post fera bella, vias.
 Non etenim ignoro, valeas quo flumine lingvæ,
 Et cytharis, quidquid scis, cecinisse, probo.
 Fac, Stephane, ut modò sis gnavus, studiosus & au-
 Cœtera naturæ sunt tibi dona sacræ. (dens)
 Efficies lætos, si vis modò, Cotta, parentes,
 Si incumbis laudi, quæque parata puta.
 Magnus eris, quâdo es genitus patre, Cotta, beato,
 Qui fruitur titulis Justitiæ atque animi.
 Fac, rogo, ne desis tibi, sunt nam cœtera cuncta;
 Ingenio polles: nobile munus habes,

AD CL. VIRUM THOMAM REATINUM,
quod & amet Marium, & ejus
rem foveat.

Simea te possunt iterumque iterumque precari
Carmina, si precibus est locus atque meis:
Te rogo per superos, per quæ tibi munera cælum
Cuncta dedit, quibus es quâlibet arte potens.
Dilige me, quando colo te, venerorque precorque,
Juppiter orantes audit & ipse viros.
Castaque flecteris, si sæpe rogere Diana,
Supplicibus Phœbus, Marsque Dei que favent.
Blandaque quod Dominum sequiturque; vocatque; catella.
Provocat, ut pastum sæpe ministret ei.
Cogitur omnis amans in amantem pignus amoris
Ferre paris. Lex est certa in amore favor.
Præcipue si justa cupit, quicumque precatur:
Injustæ debet nemo favere preci.
Te mihi cuncta Jovem, venerer quem, fata dedere,
Pro spe, pro precio, Sfortia numen habet.
Est tua vita mihi, veluti pharetrata Diana,
Tu Mars, tu Phœbus, es mihi tu Dominus.
Tu mihi quocumque es preciosior ipse lapillo,
Tu Ducis excelsi dextera pulchra mei.
Flecte igitur mentem, quanquam gravioribus acta
Utque mihi Thoma fidus es, esto diu. (est,
Non ego thesauros, non munera postulo Cræsi,
Ne modò vita mihi desit honesta, peto.

AD MAGNIF. GASPAREM VICOMERCATUM,
quod ferat æquo animo, si parvum
munus acceperit.

Parva damus, Gaspar Comes inclyte, munera par-
In quibus est grandis cum pietate fides. (vi,
Dona

Dona animus decorat, deest hinc facundia lingvæ,
 Sed preciosa facit munera parva animus.
 Quod si magna mihi fortuna Deusque dedissent,
 Quàm cuperem magis hæc mittere magna tibi!
 Sed postquam superis placuit, potuisse Poëtam
 Parva, damus quantum fata dedere mihi.
 Da veniam crasæ, Comes optime, quæso Minervæ,
 Ignosce ingenio, si libet, atque rudi.
 Et si fortè aliquid melius mihi posse supernus
 Juppiter addiderit, tunc graviora dabo.

AD ILL. FRANCISCUM SFORTIAM,
 quod ejus reditu atq; Blancæ Conju-
 gis omnia reviviscunt.

Quale solet violas, quas candida bruma preme-
 Et glacies rigido stravit acerba gelu, (bat,
 Verna dies placido revocare in pristina Phœbo
 Serta, subivit & is, qui fuit antè, color.
 Sic Mediolani populusque domiq; jacebant,
 Curia, templâ, viri, singula conciderant.
 Terident redeunte omnes, gaudentque, beato
 Quo Duce nulla dabunt sæcula plus meritum.
 Quando aberas, pluviz, nimbiq; aquilonibus acti,
 Atque procelloso cuncta fuere metu.
 Nunc ubi diva redit facies tua, prospera nobis
 Singula fata favent, plaudit uterque polus
 Navis ut in medios fluctus, duce manca, vagatur:
 Sic sine te Duce sunt qui periére ferè.
 Namque ego qui fidus veluti te & numen adoro,
 Quando aberas, tanquam lux mihi deesset, eram,
 Semianimis fueram, cæcus, sine mente, remissus,
 Et cui vix poterat parere vita fugax.
 Nunc at ab interitu revocatus, ad æthera tanquam
 Pervolo: sum felix, te veniente Duce,

Tu modò vive diu, Latioque orbi que cupitus,
 Unica lux populi, stella que clara Ducum!
 Et qui te nati, & qui dehinc nascentur ab illis,
 Italiam patrio Marte animo que regant!

AD ILL. FRANCISCUM SFORTIAM,
 quod non auscultet Sufurronibus,
 Philelphi carminibus detra-
 hentibus.

CArmina livor edax si nostra momordit inique
 Judicio satis est, Sfortia die, tuo.

Invidiæ quemcunque furor premit, ille Poëtam
 Me putet esse rudem, difficilem que nimis.

Cuilibet hoc stulto vitium est, quod nescit, id esse,
 Quod debet reliquos jure latere, putat.

Quod que scit is, solum clarum præstansque vocandû;
 Atque suis censet facta aliena modis.

Postce homines fatuos, num sit prudentior ullus?
 Infanos referant quosque fuisse alios.

Adde quod hic morb' nonnullis præfidet, ut, quos
 Fama vehit, gravius dejiciant miseri.

Si quis erit posthac, Princeps clarissime, qui me
 Carpsert, en! adsum, qui mea tunc tuear.

Si facilem dixisset, erat cui credere possem:

Nam quidquid conor dicere, carmen habet.

Si nimis ille levem Marium accusaret, haberem

Jure viro grates munere amicitia.

Sed rudis esse velim si fortè, ne quibo, vetustos

Qui toties Græcos, Auloniosque lego.

Difficilis fuero, cum me natura renasci

Imperet: ingenium nam fluit & calamus.

Cæsare qui coram de me tam futile divo

Judicium dederit, me vocet ille loquax.

G

AD

AD JOHANNEM ANDREAM VIGLERIUM,
Abbatem, quod non deceat cum for-
tunâ mutare quoque animum.

Vigleri, quem prima mihi conjunxerat ætas,
Utque dies crevit, est amor auctus item,
Tu mihi jam dudum, nec quæ sis fata secutus,
Nec tua quæ fuerit, Andrea, vita refers.
Prosa nec ad nostras usquam tua mittitur ædes,
Nec numeris quicquam dulcis, amice, canis,
Oblitusve tui semper filuisse Philelphi
Duceris, aut Marium negligis ipse tuum,
Si memor hujus eras, ratio tibi iusta tacendi
Nulla fuit, seris causa probanda modis.
Ni fuerint forsan graviora negotia quæquam,
Nec potuit calamus ergò vacare tuus,
Sive sit hoc aliud; referas, quæ causa tacendi est,
Adque meos cur non missa Thalia lares,
An quoniam fortasse Pater reverendus obisti
Præsulis officium, mutus es ipse quoque?
Divitiæ ingenii certè nocuere superbis:
Pluto colit Stygios: musa sonora Deos,
Nam quicumque auro premitur, nequit ille volare
Ad secreta Dei sidera, pendet humi.
Si ratio hæc fuerit, non est mutabile crimen:
Servus es, in magno culmine servus agis,
Quod si, qualis eras, animo ingenioque virescis:
Quò magis es celsus, scribe legenda magis.

AD MATTHIAM TRIVIANUM,
quod nubat, priusquam mutata
barba mutet fidem.

Matthia, dum servit mediocri in corpore robur,
Nube precor, quando deest tibi ruga tremens.
Quando

Quando vales bello miles tua castra tueri,
 Cum deus hortorum plaudit & ille tibi.
 Amplectare furens mediam quando ipse puellam,
 Illa libens reddat in tua labra vices.
 Cum neq; frena potes regere, aut cohibere furorē,
 Atque procax totus, totus es atque procus.
 Pallidus es, macies te circuit, erigis hastam,
 Quantam vix potuit te prior erigere.
 Es leo, tale petunt animal muliebria crura,
 Quod nequeat facili reddere signa dexæ.
 Talis amans petitur, qui rideat, excreet, & se
 Aspiciat totum, qualia cuncta soles.
 Talis erat Veneris, Bellonæ natus, amator,
 Talis & Hippolyto capta noverca suo.
 Et qui Cygnus erat gremio conjunctus amicæ,
 Et Taurus vaccæ, Matthia, talis erat.
 Quid differs? te junge precor cum conjugè charâ,
 Dulce patris nomen, mî Triviane, pete.
 Pignora quando tibi mulier dabit ulla marito,
 Vivere posse puta posteritatis ope.
 Ne remorere, vetus tibi cum pendeat ab altâ
 Fronte supercilium: Matthia nube, precor!
 Quando satam Priamo Trojanam exarsit Achilles,
 Etatis fuerat, qualis es ipse modò.
 Quandoque Medeam pulcher dilexit Jason,
 Talis erat, talis inclytus omnis amans.
 Talis & Æneas, Tyriam quando arsit amicam,
 Alcides talis, quando furebat amans.
 Consilio hæc ætas, mediam quam dicimus, omnî
 Pollet & eloquio, pollet & ingenio. (securus,
 Nunc superes Phœbum, Daphnen est quando ille
 Pyramus ætati cesserit ille tuæ.
 Non juvenem nimium, qui cœca Cupidinis arma
 Ferre nequit, nimium nec cupit ulla senem,

Ille tener nimis est, nimis est hic durus: utrumque

Negligit, ille jocis aptus, & ille mero.

At tu, qui poteris dignum tellure ligonem

Ducere, qui semen ponere, charus eris.

Adde quod es succi plenus, roburque virile est,

Et macilentus agis quod bene saepe nates.

Adde quod & valeas lingvam exficcare puellæ,

Humor ubi desit, verba futura sient.

Sæpe manum tractes per lævia membra, putantem

Sæpeque decipias te dare flumen aquæ.

Hæc quia cuncta potes, citius fore consulo, amico,

Nubendum, ne tu despiciare senex.

Annofo cum dira premet tibi membra vetustas,

Non eris infelix, quem velit ulla virum.

AD ANGELUM ACTIOLUM, FLUENTINUM,

quod rem Marii apud Ducem Me-

diolani procuret.

ANgele, cui quanto est nomen præstantius istud,

Tanto etiam virtus est veneranda magis.

Te mihi magnificis celebrandum multa dedere

Carminibus, quibus es septus utrinque bonis.

Sive quod es prudens, Ithaco par, sive Catoni.

Sive quod excellis nobilitate tuos.

Hic tibi quæ fuerint graviora pericula rerum,

Fortunæ ostendunt munera quæque tua.

At mihi nec plaudunt Musæ, nec ridet Apollo,

Pegaseo nihil est fonte quod eliciam.

Alde animum tristem, lætâ nec fronte ferocem,

Segnitiam, sapiunt fel mea cuncta suum.

Quæ duros Philomela canens valet edere fletus?

Quæ risus Progne reddidit ulla gemens?

Cæsara quando Maro meritis tollebat ad astra,

Ancamque hilaris, quando canebat, erat.

Naso autem tristes elegos emisit, amarè
 Quando habuit, quando hic exul ab Urbe fuit.
 Angele, corde puta, sit & hoc, sit & illud, haberi:
 Instabiles oris sunt sine corde nota.

Qui canerem Augustum titulis & laudibus æquis?
 Quando famelicit inops Musa, sepulta filet.
 Qui quoq; digna tuo tibi nomine dona dedissem?
 Sæpe volens nequeo: sed precor, adde manus.

AD FRANCISCUM CRUCEM,

Mediolanensem Canonicum, quod
 pro suâ virtute unicè amandus sit.

Qui crucis arma geris, crucis es protector hone-
 A cruce sumpsisse te quoq; signa decet. (st^o)

Nam quis in Insucribus Canones te noverit ullus,
 Aut meliùs Leges? & Sacra jura Dei?

Convenit ergò tibi crucis hoc cognomen & æquè,
 Quando crucis Numen, sanctaque signa colis.

Adde animi laudes, & nobilitatis honores,
 Nec fuit hoc ligno nobile in orbe magis.

Sum totus, Franciscæ, tuus, quando inclyta fama
 Me tua devinxit munus amicitiae.

Sum tuus, & quidquid potero, sit & id, sit & illud,
 Præcipias modò si, decipiére minus.

AD JOHANNEM ALOYSIUM THUSCUM,
 quod puer immeditatò versus di-

ctans, omnes in stuporem
 provocet.

Si puer extolli titulis & laudibus ullus
 Jure valet, laudes accipe, Thuscæ, tuas.

Serta parant lauro, capiti jungenda, sorores,
 Atque coronando Lilia mille tuo.

Ex hederâ tempus cingeris & ipse sequaci,
 Pegasei numen fontis habebis adhuc.

Tunc Reges, tunc ipse Duces, ferrumque togamque
 Atque canes populos, calicolasque simul.
 Namque vel his tenerum regitur quis pectus, in anis
 Tantus es, ut stupeam teque tuosque modos.
 Aut genitus Phœbo es, tibi sive aspirat Apollo,
 Verba favum sapiunt, carmina nectar habent.
 Tu quoque, quem poterit pro rebus, Sfortia, gestis
 Divificare sacro carmine, latus agas.
 Insubrium Princeps, Latiae lux una quietis,
 Aspice, quis vates surgat in urbe tibi.

Eulogium

REVEREND. JACOBI PORTUGALIENSIS
 Cardinalis, qui in teneris
 obiit annis.

Quem genuere Duces, Reges flere potentes,
 Quem Pius, atque Sacer luxit in Urbe Chorus,
 Quique obiit teneris, senior virtutibus, annis,
 Cardinis Antistes, quem dedit ordo, sacri:
 Ossa viri tegit hic tumulus, laudesque vagantur
 Orbe, polos pietas & benefacta tenent.
 Hæc Patris Infantis vultus Jacobus in arce,
 Et videt excelsos, quot patuere, viros.
 Aspice & sæcli meritum juvenesque senesque,
 Et quidquid virtus tradere dia solet.

Eulogium aliud

PRO EODEM REVEREND. JACOBO.

Si meruit proavis Ducibus, si Regibus ullus
 Cretus, & eximia Religionem nitens:
 Si quis ab interitu potuit clarissimus Heros
 Immunis gravidam frangere fila choli:
 Hic Jacobus inest, cujus sunt ossa sepulchro
 Hoc propè, qui fati non rapiendus erat:

Sanguine ab Hesperio, regniq̄ue à culmine natus,
 Major avis Præful atq̄ue parente fuit.
 In teneris annis rubra Mitra, regente Calisto,
 Hujus ob ingenium tinxit in urbe caput,
 Et quoniam valuit mirâ pietate fideq̄ue,
 Hunc Pius extinctum fleuit, & ordo Patrum.
 Marmora membra tegunt, laudes sedere superno
 Jure polo: Hoc virtus tradere sancta solet.

Aliud

PRO EODEM REVEREND. JACOBO
 Eulogium.

Qui satus est Ducibus proavis, qui utroq̄; parente
 Regum stirpe fuit, regia cuiq̄ue fides:
 Qui pietate, animo invicto, ingenioq̄ue, bonisq̄ue
 Mille erat, & mirâ religione sacer:
 Cardineo Antistes qui in limine laudibus omnes
 Æquavit veteres, hic Jacobus inest.
 Hunc Celtæ lugent Reges, deflentq̄ue Britanni,
 Et quot erat junctus, inter utrosque Duces.
 Qui teneris quanquam est patriæ surreptus in aâis,
 Pro virtute tamen spectat in arce Deum.
 Nec sangvis, nec clara domus, nec amica juvenia,
 Sola potest virtus divificare viros.

Ad

CAROLUM BOSSIUM, EQUITEM AURATUM,
 quod servet fidem in curan-
 dâ re Marii.

Miles es, ô Bossi, quoniam tua vita pudica est,
 Et quoniam validus frangere bella potes.
 Miles es & quoniam sanctus sacra testâ subisti,
 Mentiri quoniam, Carole chare, nequis.

G 4

Miles

Miles es, ingenio superas quia robur Achillis,
 Et quoniam eloquio saxa movere vales.
 Miles es at profis meritis, noceásque probatis,
 Ut studeas cunctâ posteritate coli.
 Hoc ego, quando aliud mihi tu dare, tradere possû,
 Id mihi si dederis, hoc tibi jure dabo.
 Scis, mea quid frustra ten' hac spes ventilet, & quid
 Ergò velim: Reddam munera digna Duce.

AD BLASIIUM CUSANUM MEDIOLANENSEM,
 quod fortunatissimus sit omni for-
 tunarum genere.

TE Cusana domus, te conjunx optima, Blasi,
 Et decorat proles, & tua cana fides.
 Sunt generi, insignes geniti, genitæque puellæ,
 Esque avus, & proavus integer atque sagax.
 Est fortuna comes, virtus tibi sancta sodalis,
 Ergò etiam est dignum, quidquid in orbe facis.
 Uxor adest Isaberta tibi, quâ nulla tulerunt
 Sæcula præstantem laude vel ore magis.
 Est Malletta gener, quo non est æquior alter,
 Ingenio eximius, eloquio, & specie.
 Bossius est itidem præclarus Doctor, utroque
 Jure coronatus, Justitiæque decus.
 Estque Serantoni Franciscus laude probatus,
 Angvigero charus moribus atque Duci.
 Bartholomæus adest natus tibi jura Johannes
 Sacra tenens, sanctæ religionis honos.
 Tum quoq; Franciscus, residet qui Principis aulâ,
 Pro meritis nostro gratus & ille Duci. (tum,
 Quid paulùm memorem juvenem, me judice, tan-
 Quantum non brevibus commemorabo lyris?
 Omnia felicem te monstrant; singula, Blasi,
 Sunt tibi jure tuâ pro pietate data.

Sed

Sed sequere, atq; bonos foveas, tuteris, & ornes,
Fama tibi est cunctâ digna futura die.

AD MAGNIF. GASPAREM VICOMERCATUM,
quod cum semper foverit doctos, id
nunc quoque faciat.

Auxilio es cunctis, Comes inclyte, vatibus, alter
Meccenas nostræ spesque decusque lyræ.

Augusti quoniam nunc surgunt tempora divi,
Cæsare sub nostro Pollio noster eris.

Sicilidas quando musasq; & verba canemus,
Gloria carminibus tunc tibi summa meis.

Nil meruere mei de te, quod & ipse, Poëtæ
Non memorem, si me fata Deusque sinant.

In commune bonum nam consulis, omnia tandem
Pulchra cadent, frondes ut trahit ipse Notus.

Sola manet virtus, hominumq; hæc sola tuerur
Facta; Viris fama est una corona probis.

Hanc melius nulli foveant ducantque per ævum
Vatibus: hos sequitur, quidquid in orbe nitet.

Perpetuos faciunt Regesq; Ducesq; Camœnz,
Æternos reddunt carmina sacra Viros.

Et nihil est aurum, gemmæ decus, atq; pyropi,
Nî tua conservent gesta colenda libri.

Nonne vides merfos tot sæcla in pulvere Reges?
Et populos, quorum facta superba legis?

Illa tenent homines docti, narrantq; per Orbem
Historiæ: his vivunt regna manusq; Ducum.

Non minùs historiâ, quàm carmine pulchra juva-
Facta tua: Ergò mihi jure favere potes. (bo

AD ALBERICUM MALLETTAM, DUCALEM
Consularem, quod curet, ne terat
Marius tempus suum,

Insubrium specimen, tanti lux una Senatus,
 Alberice, Ducis o decus Angvigeri!
 Te rogo per superos, per numina singula cœli,
 Ne spe obeam ductus, tempora neve teram.
 Nam volat, & nihil est magis irreparabile nobis
 Tempore: nulla queunt reddere fata diem,
 Et nihil est odio magis expectantibus ipsis,
 Ducere quàm frustra tempora trita diu.
 Pensa quidem Parcæ, sed non reditura, fatigant;
 Vergit in interitum crastina quæque dies.
 Et nisi nos pecudes, & bruta remissa putemus,
 Quæ nihil est, quod post corpora casâ velint:
 Debemus quamcunque horam studiosius omni
 Argento atque auro quærere, quid facimus,
 Temporibus parent si singula, tempora nobis
 Esse queunt rebus omnibus orta prius.
 Quando igitur nostri es tu Consul Cæsaris unus,
 Credere cui valeat & velit omne suum:
 Atque vides, quando nihil hoc præstantius ævo,
 Quàm Vates alere, qui Ducis arma canant:
 Quid dubitas, Maletta, tuo favisse poëtæ?
 Non erit ingrata nostra Thalia tibi.
 Eja age, nos foveas, nec tempora plura moreris:
 Sat fuit hæc tenus hac spes mihi vana quidem.

AD CAROLUM CREMONAM,
 quod Laurâ Venetâ nulla sit in uni-
 verso Orbe præstantior.

Carole, nulla mihi mulier præstantior illâ
 Visa fuit, quam tu colloquebare modò.
 Exuperat reliquas specie pulcherrima nymphas,
 Est quoque plena gravis forma pudicitia.
 Vincit in ore color violasque rosasque venustus,
 Vincitur egregiis moribus ipse color.

Digna tuo aspectu est, populus quam cunctus ado-
Pro meritis digna est laudibus illa coli. (ret,

O utinam liceat faciem me sæpe videre:

In quâ Phœbus agit, atque Diana sedet!

Materiam dabit ipsa mihi, formamque canendi,

Rara etenim in terrâ est pulchra & honesta simul.

At tu, qui talis Dominæ veneraris honores,

Gaude! erit hæc Cytharæ spesq; modusq; meæ.

Vos quoque qui laudi studuistis semper & æquo:

Dicite jo! vates carmina digna Deâ.

AD MAGNIF. GASPAREM VICOMERCATUM,
quod, cum Marium tollit, satisfacit
officio amoris.

Quod me adeò extollis Comes inclyte, Gaspar,
Rem facis egregiam, quâ tibi gratificer. (amico

Tollis ad astra meum nomen: me Principe coram

Evehis, esque meæ laudis in urbe decus.

O me felicem! cui sit tam splendidus auctor:

Is, quo nemo prior arte, vel ingenio.

Gratus es ergo Duci, Ducis es fulgorque decusque;

Dii tibi dent animo præmia digna tuo!

AD THOMAM THEBALDUM EQUITEM
auratum, quod dolenda sit cunctis ejus
adversa valetudo.

Langvor abi, corpusq; finas requiescere Thomæ,
Febris iniqua fuge, & ad tua tecta redi!

Ad Phlegetonta ferum, Stygiasq; maligna paludes,

In quibus est variis dira Megæra malis.

Quod si fortè placent homines, tunc fava tyrannos

Punge aliquos, lacera quosve libido regit.

Mitte virum, cui pulcher honos, cui splendida vir-

Grata sit, & cujus undique fama nitet.

(tus
Ta-

Talis es ô Thoma, & talis cognosceris orbi:
 Morbus iners humeros linquat is ergò tuos!
 Tu valeas hominum splendor! tibi numina quæq;
 Fata parent annis mille videnda tuis.

AD JO: MATTHÆUM BOTTIGELLAM, EQUI-
 tem auratum, quod dolenda sit mul-
 tis ejus febris.

Bottigella, meæ pars ô dulcissima vitæ,
 Vix puto, te morbus aufit adire ferox.
 Vix equidem credo, metuo tamen: hoc in amante
 Est vitium, ut metuat, & neget esse malum.
 Quod cupimus miseri, facile & speramus id ipsum,
 Postque vix, quod non ducimus, id fieri.
 Si doleo, est testis mihi met mea singula virtus:
 Nam tua me probitas provocat & pietas.
 Ipse bonos omnes tutaris, amasque fovesque,
 Dignus es & vitâ, dignus es atq; coli.
 Ergò vale & linquat tuus hic te fluxus iniquus!
 Salvus eris, parent si mihi fata poli.

AD ILL. LUDOVICUM, SABAUDIÆ DUCEM,
 quod sit ei gratulandum, qui filium
 Ludovicum habeat Regem.

Rex tibi natus adest tuus hic, Ludovice, futurus:
 Gratulor & genito, gratulor atq; tibi.
 Gratulor huic patriæ, tâto quæ prædita honore est
 Ut Ducis hujus agat signa decusq; Cyprus.
 Gratulor excelsæ meritis pro talibus Annæ,
 Filius in regno cujus & ipse fiet.
 Rex pater hujuserat, Rex frater, & inde nepotes,
 Cum nunc sit genitus, hæc sua regna regent.
 Legerit in medios Regesq; Ducesq; potentes
 Hunc Deus ut solum, qui regat arma Cypri:

Eximia est signum laudis, cui muneris æqui
Sorte vices dederit Juppiter ipse suas.
Justitiã præstas pietateq; principis omne
Nomen, & es priscais Regibus arte prior.
Pulcher honestatis tutor, protector & æqui,
Exuperas mille laudibus ipse Duces.
Quæ tibi non meritò traduntur munera Regum?
Quæ tibi non meritò dat sua dona Deus?
Anna super reliquas, Phœbus ceu sidera vincit,
Pulchra, modesta, sagax, sancta, pudica, nitens.
Exuperat Daphnen formã, sed mente Dianam,
Estq; Minerva suis artibus una comes.
Huic opus est, votis succedant cuncta secundis,
Quando alias Dominas vincit in Orbe Dea.
Talibus ambobus præclara parentibus iste
Progenitus meruit regna sibi & titulos.
Vivat in Orbe diu, dignusq; parentibus extet!
Quidquid agat, Duce sit dignus, ametq; patre!
Quidquid mète trahat, matrem meditetur, & ornet
Se, sua regna, sibi regna regenda sciat.
Nam quicumq; velit se dignum tradere rege,
Ille putet magnum se dare posse Virum.
Debet enim, quemcunq; oculus spectaverit omnis,
Se præbere oculis omnibus ille parem.
Magnanimus qui sit, constans, prudensq; piusq;
Et qui sit cunctis præditus Officiis.
Spernat avaritiæ fucum, contemnat inertis
Segnitie interitum, despiciatque dolos.
Sit simplex, veraxque regens, sit fautor honesti,
Sit, quem nullus agat in sua tela furor.
Talis erit natus tuus iste, parentibus esse
Si similis cupiat, regnaque jure regat.
Sed fore cum talem sperem, & credam, Ludovicum,
Gratulor excelso, Dux Ludovice, tibi,

Tu

Tu modò cum clarâ lateris conjuge Princeps,
 Et choreas ambo ducite Apollineas!
 Plura dabit vobis Deus ipse merentibus; ambo
 Vivetis vitam Nestoris: astra favent.

AD ILL. FRANCISC. SFORTIAM,
 quod pro accepto ab eo munere sit
 eum carmine celebraturus.

Quid tibi restituum tanto pro munere, Princeps
 Sfortia? quidve tibi reddere quæso velim?
 Munere me exornas, præclaraq; dona ministras
 Sæpe mihi: Ast ego quæ præmia reddidero?
 Ut digna historiâ tua præstantissima facta
 Comemorem: fias posteritatis honos. (quam,
 Quotq; Duces Regesq; velint sibi quærere quen-
 Cujus ad exemplum maxima cuncta queant;
 Te solum accipiant lumenq; decusq; virorum,
 Qui valeas animo, Marte, manuq; pari.
 Quotq; dabunt vitæ mihi sæcula fata futuræ,
 Tot tibi Dux plaudam Sfortia carminibus.

AD REV. PONTIFICEM MUTINÆ,
 Ducalem Consularem.

Pontificum, Mutinæq; decus, cui clarus Apollo
 Afflat, & ingenium Juppiter ipse dedit.
 Tu mihi continuus fautor, protector, & auctor,
 Spesq; salusq; meæ lumen honosq; lyræ.
 Te mihi tutentur tum numina quæq; Deorum,
 Tum terræ, atque falis, aëris atque furor.
 Dignus enim vitæ es, cui se debere fatentur
 Et populi, & turbæ; sed mage quisque bonus.

AD ILL. BLANCAM MARIAM,
 Mediolani Ducem.

Hanc sibi delegit vitam sanctissimus iste
 Nicoleos: spreuit quidquid in Orbe nitet,
 Pauperiem sacri coluit: triplicemque coronam
 Tunc meruit, quando regna superna videt.

Et quoniam gentes inter clarissimus omnes
 Iste fuit, stella est pectore posta suo.

Multa facit miracula, pio si corde precamur
 Hunc: Deus est iustis fautor & ipse viris.

Ergo mea protector opis sis, Sancte, meamque
 Uxorem, & natos protege, Sancte, meos. (ra,

Supplico, me foveas cum conjugē, cum Theodo-
 Casare: namq; tuum poscimus auxilium.

Quod facimus, serua: quod dicimus, omne tuere
 Et doceas, quæ sit orbe tenenda via.

Te Doctore, meæ melius res, Sancte, futura,
 Te fautore, meus vivet in orbe decor.

Ipsē potes Christum placare in crimina nostra,
 Ipsē potes nostros latificare animos.

AD DIVUM AUGUSTINUM AURELIUM,
 quod cum summâ sapientiâ & do-
 ctrinâ constet ejus fides.

HOc Augustinus templo veneratur ab omni
 Gente, Deum Christum quæ colit & Mariam.

Aurelius, quoniam cuncto præstantior auro
 Is foret, est dictus, id quoque nomen erat.

Atque Augustinus, quod conductore beato
 Hoc homine, Ecclesiæ cresceret alma fides.

Interpres rerum fuit hic, scriptorq; Sacrarum,
 Hipponæ Antistes, religionē sacer.

Quidquid habent arcana poli, quod terra retexit,
 Omnia magnificâ scripsit & iste manu.

Vita fuit splendens, mores cum laude pudici,
 Despiciens fastus, pauperiem coluit.

H

Edo-

Dicere si fas sit, sancta est pietate, priores
 Exuperans omnes, religione, fide.
 Servat honestatis titulos ubicunque severè,
 Et Vestæ, & Cybele devovet omne suum.
 Nil facit indignum, nihil hoc meditatur, amâve,
 Hostis iniqua Viris, quos putat esse vafros.
 Hæc est digna igitur, quam servant numina cœli,
 Vivat & in nostris commemoranda libris.
 Te, meritam laudes, referam mitissima Blanca,
 Si Deus arquiteuens carmina nostra canet.
 Tuque mea historia, tu versibus una Philelphi
 Digna coli fies: me modò, Blanca, fove.
 Tum mihi Dux, duce te mea quæq; poëmata vivent:
 Ergò meum, qui te tollo, tuere decus,

AD NICOLAUM THOLENTINATEM
 sanctum, quod cum summis miracu-
 lis pateat ejus sanctitas.

Nicoleos sanctâ celsus pietate, supernas
 Promeruit sedes, summaq; regna poli.
 Cumq; Tholentinas humili de stirpe fuisset,
 Reddidit æternum nomen in astra sibi.
 Cognovit, quod, quidquid honos, fastusq; virorû
 Præbuerint, nihil est, pompaq; cuncta nihil.
 Quod pereunt Reges, populiq; Ducesq; superbi,
 Quod cadit omne aurum, gemmaq; quæq; ruit.
 Quod species veluti, formoso in corpore flores
 Et violæ subitò, sole cadente, ruunt. (effert,
 Quod vanum est, quidquid tellus lachrymabilis
 Solaque stat probitas, religioque diu. (esse;
 Non est vita quidem nostra hæc, quam ducimus
 Hic dolor, hic metus est, sit malè, sitve bene.
 Hanc morimur cuncti: Vita est, quam vivimus om-
 Quâ Deus est præsens, prospicit atq; pios. (nes:

Hanc

Tu mihi, Dux, fidus, mihi tu via, solq; sororque
 Tu nox, tuque dies, spesque salusque mihi.
 Hic ego cum natis, cum conjugè quæq; futurus
 Sæcula, quæ dederint fata Deusque mihi. (Iud,
 Quare age, si interea magis id placet, aut magis il-
 Efficiam, seruo præcipe cuncta tuo.

AD LAZARINUM SCARAMPUM
 Ferrariæ Præpositum.

Est promissa mihi perdix tua sæpe futura,
 Pollicitis defunt dona sequuta tuis.
 Aut igitur perdix veniat, veniatve coturnix,
 Aut ego te immemorem credo fuisse mei.

AD IOHANNEM NERBONAM
MEDICISSIMUM.

O Lepidam faciem! caput ô, medicissime, dulce,
 Cujus in effigie totus es ipse lepus!

AD INCLYTUM SFORTIAM SFORTIGENAM.

Magna cupis tantum, nos parvos negligis; esto;
 Parva aliquando tibi grata futura scio.
 Fastiditus eris magnis nam deniq; cunctis,
 Parvaq; tunc cupies forsitan ulla dari.
 Tunc ego te potero forsitan gaudere benigno,
 Qui penitus nunc es difficilis minimis.
 Heu dives quando fuero? quem diligat altus
 Juppiter? ah propera, forsq; secunda fave!

AD CICHUM CALABRUM, DUCALEM
SECRETARIUM.

Fac fueris Calaber clarissime Ciche, poëta,
 Quando erit hora, memor: tempus inane fluit.

Edocuit populos variis pro gentibus omnes,
 Ficta nec hic monuit, nec simulata dedit.
 Et nihil edixit, nisi cuius in arte fuisset
 Ipse opifex; leges, quas dedit, antè tulit.
 Talis es orandus, meritò quem cunctus adorat,
 Ut faveas rebus, Sancte verende, meis.
 Obsecro me foveas, quidquid faciámve velímve,
 Coniuge cum chará, cumque meis genitis!
 Nos tueare, rogo, patronus, tutor, & auctor!
 Sis mihi, sis nobis omnibus auxilio!

AD DIVUM PETRUM LUCIMBURGUM.

Quando potes sumum precib⁹ placare Tonanté,
 Redde mihi mitem supplice voce Deum.
 Petre Lucimburgi stirps, ut tua numina posco,
 Esse etiam auxilio sic mihi sæpe velis!
 Fac vitam tueare meam cum coniuge chará,
 Cum genitá & genito me moderare diu!
 Avitiis serva me, & quod probitatis & æqui
 Sit, fac ut ante oculos adsit id omne meos.

AD ALBERICUM MALLETAM,
 JurisConsultum.

SI mea digna velit tibi reddere munera musa,
 Est opus, ut totis viribus id studeat. (Etot
 Nam nec id est modicú, quod tu mihi fautor & au-
 Das, quod & ingenii, quidquid & artis habes.
 Debeo me totum tibi, mi Malleta, Poeta
 Utere lege igitur, quâ magis ipse cupis.
 Non hoc polliceor, promitto nec illud, id omne
 Quod quo jure tibi trado, sit omne tuum.

AD ILL. FRANCISC. SFORTIAM,
 Mediolani Ducem.

AD GALEAZINUM CAMPO-FRÆGOSIUM.

SI Galeazinum paucis, mea musa, Camœnis
 Tollere posse putas, falleris auspicio.
 Quis poterit meritos titulos conferre poeta?
 Aut Galeazino quis dare digna queat?
 Ergò filere juvet: nec enim tacuisse nocebit,
 Quando nequis laudes ferre, Thalia, pares.
 Hæc ego cum dixi, calamo chartaque remissâ,
 Fama vocat, nostram subdidit illa Chelyn.
 Egregios animos probitas laudata ciebit,
 Delectantq; graves scripta canora viros.
 Prætereat quæ surda volens, quæ muta poësis
 Ingenio insignes, & pietate Duces?
 Provocat ad se animos virtus præclara virentes,
 Excipiunt palmas & benè gesta suas.
 Quis queat egregium non comeminisse Fregosû?
 Et Galeazinum non resonare lyrâ?
 Hic veterem formosum enim modò præstat Achillæ,
 Et modò Dardanium viribus insequitur.
 Quando agit, est Ithacus, similis meditando Cato.
 Eloquio Nestor cesserit ille veter. (nis,
 Quis valeat tacitum, immunemque hunc mittere
 Sed fileo, postquam tu tacuisse jubes. (versu
 Hic ego: Ritè jubes. Forfan dabit otia tempus
 Multa aliàs, quibus hunc diva Thalia canes.

§(o)§

§

JO: MARI PHIL.

Ad Illustrem

SIGISMUNDUM MALATESTAM,

Imperatorem invictum,

Epitomorum

LIBER QUARTUS,

& in eum Præfatio brevis.

Quippe, quod imparibus modulamur car-
 mina nervis,
 Nos hebetes magis hoc forsitan esse pu-
 Nec reris, nos posse Duces in prælia diros, (tes.
 Mavortisque acies bella vocare feri.
 Submissam nec posse lyram resonare cothurnum,
 Nec foccos, satyras nec tetigisse manu.
 Sed didici & Tragicis concludere crimina nodis,
 Et carmen lyrico stringere sæpe pede.
 Agmen in Orbe ruens armis, ensesque minaces
 Vidimus: Insonuit missus ab ære lapis. (tes,
 Quidq; senes cupidi soleant, juvenes quid aman-
 Quidq; dolis servi, quid valeat meretrix;
 Legimus à puero: notus cum munere Thespis
 Sæpe suo, & notus Æschylus ipse mihi.
 Et scenis patuit nobiscantatus Orestes,
 Atreus, Herculeâ pressus & ille manu.
 A Chereâ decepta mihi perspecta puella,
 Et Sappho, & Lyricist tu, Venusine, sacris.
 Quid Medea furens, quidq; ipsa miserrima Dido,
 Quid potuit Phædræ turpe relicta soror.
 Quid furibundus agit lectoq; remissus Achilles,
 Æneas quid item, vidimus, efficiat.

H 3

Sed

Sed mea grandisona fugiunt modò plectra Cam. ce.
 Et fugiunt Martis mille pericla sui. (ua,
 Elysiis si nunc emergat Homerus ab hortis,
 Vix emet hic chartas, quas perarare velit.
 Quæ cecinit Troas ex culto carmine Reges,
 Et tulit ad summi sidera culta poli;
 A Stygiis redeat divini musa Maronis,
 Vix poterit culicem ritè fovere suum.
 Et cupiet verpem rursus lusisse Priapum,
 Quem timeant fures, quem fugiant volucres.
 Versibus attoniti flebit Galatea poëta,
 Flebit & abductas Tityrus æger oves.
 Ad falices fugiet, quæ se cupit antè videri,
 Rursus erit teneras Thestylis usta genas.
 Livor edax terras & amor sceleratus habendi
 Occupat omne solum, contagiosa lues.
 Est probitas census, gemmæ virtutibus obstant,
 Qui magis æris habent, plus probitatis habent.
 Qui rapto vivunt, creduntur numina, milvi,
 His erit in patriâ sponte paratus honos.
 Nec mirum est, Reges conturbant oppida bellis,
 Quò veniant manibus plura talenta suis.
 Militiæ nervos aurum, non gloria, pressat,
 Omnes sollicitat dives arena Tagi.
 Præsenti plus, quàm venturo consulit ævo
 Cura Ducum : Venter charior aure Duci est.
 Si gratis cantas, surgunt æstate cicadæ,
 Vulgus ait : Rana hic, gurgulioq; canit.
 Verberat aut nimbos cornix aut gutture corvus,
 Et bubo; aut tardæ nuncia messis avis.
 Non decet invitis fatis garrire poëtas,
 Labitur in vacuum vox modulata sonum.
 Non sunt in precio hâc in tempestate poëta,
 Anser habet nivei munus oloris ovans.

Nam

Nam quamvis grandem cytharam mihi magn^o A-
 Obtulerit, gratis non vehet illa Duces. (pollo
 Verba per abstrusam non ibunt Cæsaris aurem:
 Ridiculum tantum nostra camæna timet.
 Soli musa ciet, soli tibi mulceat aures,
 Solus es inter tot, mi Malatesta, Duces;
 Qui doctos tutare viros, qui munere adornas,
 Quem cupit hic quartus sponte videre liber.

Ad

GARSIAM MENESIUM PORTUGALIENSEM,
 quod pauca sint hodie Poëtis
 præmia.

Laura meis quondam meruit celebrariet annis,
 Tolleitur calamo rursus & ipsa meo.
 Hæc numen nostrum est, sic nostra corona vocatur
 Errat & ante oculos terfa figura meos.
 Insomnes ducit noctes blandissima mecum,
 Me tenet, & figit svavia grata genis.
 Certatim canimus, nec luxus carmina damnat,
 Lascivam musam vulgus amare solet.
 Hæc mihi sese offert, ollimea carmina curæ,
 Hæc duce, loripedes mittimus ore sonos.
 Quæ pl^o longè grata est nobis, quàm grata Catullo
 Lesbia, quàm Gallo grata Lycoris erat.
 Quàm fuerit Sappho dilecto grata Phaoni,
 Leandro vel quàm Sexta puella suo.
 Quàm Venus aut Marti, sumo quàm Maja tonanti,
 Quàm Daphne Phœbo virgo pudica suo.
 Antiquas subeo leges, moresq; priorum,
 Quis fuit urbanis pagina plena jocis.
 Nasones sequimur, Marcos, mollesq; Tibullos,
 Nam fuit in numeris Cynthia sola sacris.

H 4

Quis

Quis modò Virgilius, modò quis sectetur Home-
 Præmia si ranti nulla laboris erunt? (ros)
 Ut solet acer eques animari pectore bello,
 Cum primum dederit buccina pulsa sonum.
 Ut solet ad signum demisso carcere turba
 Tunc properare magis, cum sibi fautor adest:
 Ut festas renovare solet persæpe carinas,
 Quæ dederit persans sibila multa manus:
 Sic animis crescunt ditatis jure Poëtæ,
 Ut cupiant elegos postposuisse pedes.
 Si claudunt aures, nec curant carmina Reges,
 Quid placet, Heroum concrepuisse tubam?
 Ergò elegi placeant imbelles, sæcla quousq;
 Viderit è cælo nostra, Ducesq; Deus.
 Et mundum in melius mutet, qui præsidet astris,
 Vatribus & fuerit gloria certa sacris.
 Et quoad præsentis melius formabitur ætas,
 Ut tegat optatâ laude Poëta chelyn.
 Nunc tibi, qui nostræ veneraris numina musæ,
 Gratulor: est tali digna Thalia viro.
 Tu dignus dominâ, domino te digna, Græfia,
 Calliope, hæc ambos nos pia musa fovet.
 Blandiri nymphæ properemus cantibus ambo,
 Certemus nostro munere dona dex.
 Non erit hæc tandem nobis ingrata puella,
 Non finit immunes, quos amat illa, viros.
 Ostendet colles & relligiosa dearum,
 Ante oculos nostros Pegasis unda fluet.
 Hac duce Græcorum, cecinit quoq; musa latinum:
 Hæc sine nemo fuit lege poëta suâ.
 Quid peto? ne obstupeas, paribus si prælia nervis
 Non canimus: satis est posse tenere elegos.
 Interea surget, neq; me sententia fallit,
 Sidus, ad officium sancta Thalia tuum.

AD CAROLUM CREMONAM,
quod, cum filium genuerit, sit
ei unice gratulandum.

CAROLE, quod genitus natus modò sit tibi, mirū
Gratulor, ille patri si modò par fuerit.

Is valet eloquio, valet & gravitate modesta,

Ingenio, atq; modo, viribus, atq; animo.

Ille benignus erit facie, dictisq; venustus,

Si tibi sit similis jure aliquando patri.

Sit felix puer ille tuus, dignusq; parente,

Atq; tuis votis fata secunda sient! (bârit,

Quandoquidem est merit^o, quid quid fortuna pro-

Quid quid natura tradidit alma boni.

Nam triplici merito fortunæ, & corporis, atq;

Præditus es mentis munere magnifico.

Gratus es & populis, cæloq; & Cæsare dignus,

Teq; puellarum diligit inde Chorus.

Gaude igitur tanto quoq; nuper, Carole, dono,

Quando futurus erit par puer iste tibi.

AD LAZARINUM SCARAMPUM,

Episcopum Cumanum, quod ob-
servet promissa.

ASpirat manibus quoniam modò frigus acerbè,

Quando chyrothecas vis dare, quæso veni.

Non idcirco tamen promissum hoc vespere munus

Post humeros jacio: Namq; id utrumq; volo.

Lazarine, valet quid inanibus acta poësis

Blanditiis furia, scis, quid & ira chelys.

Adde fidem, quæ te digna est, quia sacra Deorum

Præ manibus tractas, religionis opus.

Quid, quod & hoc censent populiq; Ducesq; vale-

Te pietate gravi, mente fideq; pari? (re

Quodq; es id, & quod te vulgus putat esse: benigna
Fronte chyrothecas da mihi, moxq; aliud.

AD LAZARINUM SCARAMPUM,
Præsulem Cumanum, quod sit
observator promissorum.

VERUS es & fidus, modò cœtera munera serves,
Utq; chyrothecas des mihi, dicta prius.
Non aliter decuit, quàm te tua, Cæsara virtus:
Magnum opus est vati complacuisse tuo.
Hi sunt, qui poterunt annos famamq; volentes
Et tibi sæcla dare, quæ coluere dei.
Perge age, da reliquum, quantùm mihi, Lazare, dixti:
Quis sis, carminibus commemorabo meis.
Utq; ferunt veteres in prisca volumina multos:
Sic mea te valeat ducere posteritas.
Totus es egregius titulis meritisq; canendus;
Ast ego te taceo, dum mihi parueris.

AD CICHUM CALABRUM,
Ducalem Secretarium, quod velit di-
ligenter curare rem Marii.

AUGUSTO Calaber Mecœnas Ciche Novello,
Cui Ducis Angvigeri munera quæq; favent:
Cum potes una mihi, velut es spes, esse medela,
Sis memor officii dulcis amicitiae!
Quod si tantus eris fautor mihi, poscere quantus,
Immortale tibi nomen ad astra dabo.

AD LAZARINUM SCARAMPUM,
Antistitem Cumanum, quod mi-
ris laudibus sit insignitus.

QUI potes Eloquio rabidos mulcere dracones,
Ingenio tygres quiq; ciere feras.

Lazarine meum decus, & spes una tuorum,
 Atque Lygustini lumen honosq; soli.
Nil simulas ficti, nihil est tua lingua maligni,
 Vel mentita boni, sive secuta vafri.
Vera soles, Scarampe, loqui, promissaq; ad ungvem
 Cuncta tenes: Laudi gratulor ergo tuæ.
Dign es & meritò, mea quem canat usq; camœna,
 Quem pia posteritas cum ratione colat.
At tibi quas grates valeam persolvere dignas?
 Cogito: nec videor reddere posse pares.
Munera non adeò meditor, mihi quanta dedisti,
 Quàm potiùs, quæ sit mens tua, quod studium.
Dona facit claris satis æquiparanda pyropis,
 Cujus ut est munus, sic quoq; missa fides. (te,
Non minor es proavis, nec avo, nec, amice, paren-
 Matre nec es sanctâ qui celebrere minùs.
Signa tuis Aragon pro dignis laudibus addit:
 Adderis in reliquos, sol velut ipse, tuos.
Relligione nites, pietate insignis & æquo,
 Doctor es & Canonum: Rhetoris arma tenes.
Quæ quoniam paucis adsunt, tibi gratulor, inquã,
 Utq; pari flammâ, te rogo, nostra colas.
Munera quæ dederis, sic prævaluisse putabo,
 Si dederis citiùs, fronteq; magnificâ.
Nam miseri est, dixisse; dabo: modò crastina fluxit,
 Crastina deinde dies, vanaq; cuncta fluunt.
Ergo animo invicto, quo cœtera vincere fuisti,
 Te quoq; vince, precor, mitteq; pollicitum.

AD CAROLUM CREMONAM,

quod sit unicè laudandus, qui mirificè
 colat amicitiam.

Dulcis amicitia celeberrima jura rueris,
 Nec simulas quicquam, nec simulare potes.

Plus

Plus mihi das meritis, jactas data plurima nunquam
 Sat tibi, si frueris munere amicitiae.
 Praefers facta gravis verbis volitantibus, & quò
 Plura facis, facere tunc quoq; plura cupis.
 Nec fatiatur amor tuus hic, mi Carole, fervens:
 Æstuat efficere plurima semper amans.
 Sic Pylades charum semper curabat amantem,
 Scipiades illum, quem sibi junxit amor.
 Sic Pythias socium, socium sic fortis Achilles,
 Sic comites reliqui qui coluere suos.
 Frena nequit validus quisquam conjungere amanti
 Interitu nullo concidit altus amor.
 Turpeq; si fuerit quicquam, laudabile totum,
 Parvaq; si fuerint, maxima reddit amor.
 Tollit & absentem miris ad sidera dictis,
 Praesentemq; fovet atq; tuetur amans.
 Si quid habet meritis dignum, veneratur amicus:
 Thesauros superat dulcis amicitia.
 Cum quo cuncta queas, quæ poscas, crede petendi
 Esse virum à Nili limine ad Oceanum.
 Talis es ô Mario mi Carole chare Cremona
 Plus oculis: Dii te, dulcis amice, juvent!

AD MAGNIF. JACOBUM ANTONIUM
 Marcellum, quod sit optandum, pro
 tanto viro scribere.

EXuperas modulis, fateor, Marcelle, Philelphum
 Exuperant numeri carmina nostra tui.
 Pegaseis etenim quisæpe emergeris undis,
 Si redoles vatis inclyta quæq;, decet.
 Si patria est Aganippa tibi, pater almus Apollo,
 Atque Pyrenæi te levat aura jugi;
 Desino mirari, sapiunt si carmina missa
 Nestorei quicquam, clare Jacobe, favi.

Quod me autem, veluti fuerim de Gorgone cretus,
 Tollis, id obstupeo, Gorgone crete, tuum.
 Prima ubi libamus fontis rudimenta Heliconis,
 Quis mihi Cyrrhææ dixerit artis opus?
 Atq; ubi Cylleni sanctos veneramur honores,
 Quis mihi Romani det pia dona viri?
 Magnanimus nisi sit, peperit quem casta Diana?
 Qualis es, & qualem te sacra verba volunt.
 Sed quæ digna tuis referam munuscula, Phœbo
 Nate Jacobe, decus spesque salusque mea?
 Ut tua Pierio tollam super æthera cantu
 Facta: nec est nervis Calliope ulla meis.
 Bellerophontis aquas ut te super agmine fundam,
 Quas mea vix tenuis hac bucca tenella bibit.
 Aut tua Parnasfi collectis floribus orbe
 Exq; sacris geminis tecta superba colam?
 Ast ego nec laticem Bacchi, nec Apollinis unquam
 Pertudi viridem sub mea labra thymum.
 Quod si hedera & laurus circum mea tempora san-
 Fusa jacet, vatum si quoq; jungo chorum: (cæta
 Non ideo, Antoni, tanto me dignor honore,
 Quantum Thrajicii vix meruere modi.
 Nec cytharâ lapides Thebana ad mœnia volvo,
 Nec rapidum freno, clare Jacobe, canem.
 Quidquid at est, Marcelle, tuum est, modò nostra
 Non aberût larib⁹ carmina nostra tuis. (probâris,
 Forsitan & Latii magna agmina cuncta canemus,
 Et dabimus Ducibus præmia digna suis.
 Ostendam Curios, Marios, centumque Metellos,
 Fabricios centum, Cæsaribusq; pares.
 Quot quoq; Romulidas numerare volumina prisca,
 Ostendam, his totidem sæpe fuisse pares.
 Tunc ego te quàm sæpe canam, qui solus in omnes
 Marcello es veteri par, Jacobe, satis.

Elo-

Eloquio is valuit, quo non minor ipse priore es
 Quolibet: eloquio scis revocare tygres.
 Quæq; sapis, superât, me iudice, cuncta Catonem:
 Quamq; animo valeas, castra ducesque tenent.
 Hæc aliquando meis memorabo, Jacobe camœnis,
 Pollicitusq; dabo, splendide miles, opus.
 Atq; utinam majus possem tibi tradere quicquam,
 Quò fieres felix, si potes esse magis.

AD FRANCISCUM JUSTINIANUM,
 quod serò misæ pecuniæ, quas de-
 bebat, magnum induxerint
 detrimentum.

A Ut serò, aut nunquam tuus ille Clientul^o ad me,
 Qui toties vanâ spe mihi semper abest,
 Nunc etiam veniat! Grajus meus ille recessit,
 Cumq; voluminibus vela dat alta notis.
 Heu mihi! id emerui: fuerat nam sæpe minatus,
 Ille mihi hoc, sibi nî prompta crumena foret.
 Discescit: nec enim, quâ sit ruiturus, habetur:
 Ignotum est, quò se verterit ipse iter.
 Heu mihi! nam poteras nō octodecemq; ducatos,
 Sed decies centum prompta parare volens.
 Nunc autem usq; adeò presum tenuere monetæ
 Hoc aurum, ut non sit grata moneta mihi.
 Hinc notus ipse nocet: nocet hinc mihi fera clientis
 Cura tui: est gemini cura dolorq; mali.
 En! modici erroris magnum scelus, impie Græce,
 Pro paucis horis munera magna refers.
 Desant ergò libri Græci mihi: Quintilianus
 Deest mihi: quid faciam, Justiniane, rogo?
 Codicibus sine nil queo: nil sine casside miles,
 Si careat cytharâ, sit Jove natus iners.

Me Veneri comitem, cæciq; Cupidinis hastæ
 Adjiciam : Ejectus Tros quoq; magnus amat.
 Otia nec melius quisquam terit alter amante :
 Carmina digna prius : nunc ego blanda canam.

AD BARTHOLOMÆUM SULMONAM,
 quod parva præmia hodie Poëtas
 efficiunt segnes.

SCire cupis, quid musa queat mea, Bartholomæe,
 Parva? nec ingenii munera quære mei.
 In medios fluctus, Italo in discrimine rerum
 Quis modò vir lachrymas continuisse sciat?
 Fletibus adjunctis cytharæ quæ plectra morentur?
 Discordes numeros, datq; refertque dolor.
 Hinc atq; inde fremunt acies : agitatur Erinnyis
 Magna feris gladiis ; juraque parva Lyræ.
 Carmina misa jacent : capita alta tulere, furentes
 Quotquot habent animos inter utrumq; polum.
 Negligit Alcides dirum spoliare Leonem,
 Sed Gerionis avet regna subire feri.
 Nemo cupit stygias penetrare potentior urnas,
 Feralis rabiem vel domuisse canis.
 Flamina nemo salo committit euntia Colchos,
 Nemo procellosum gaudet inire mare.
 Nemo pedem movit, manibus nemo utitur ullis,
 Nisi fiat argentum posse referre sacrum.
 Est igitur cuicumque sui spes una peculi,
 Hic studium, vires, ingeniumque jacet.
 Ergò nec id stupeas, si sunt mea carmina crassa:
 Scrutarique meum define, ut hortor, opus.
 Quod si fortè placet mea, sit vel parva, Thalia,
 Hospes erit nervus sapius iste tibi.

AD

AD APOLLINEM,
quod non sit satis Mario medicamen-
ti, nisi ipse fautor accedat.

EX geminis servis, quæ sunt mihi, monstra Philip-
Mille gerit facie, rotaq; plena feræ est. (pa
Citta Carone patre est stygias fata dira sub umbras,
Matre lycaoniâ, vel Phlegetontis avâ.
Illa gerit tumidum, guttur gerit ista quadratum:
Illa aures surdas, surdaq; Citta mea est.
Illa facit ferò quicquam; hæc quoq; seriùs illud:
Fece Philippina est, hæc quoque plena luto.
E mediâ Scythiâ genita hæc; at & illa vetustis
Ex Pedemontanis: utraque prima sapit.
At famuli mihi sunt, Jacobus & ipse Sophista,
Et Petrus, ingenio promptior ipse grue.
Ille audet Logice centum exuperare loquaces:
Hicque mero potus vincere mille potest.
Apulus ille: sed est melior regione malignâ;
Hic quoq; ab Insubribus cretus in arma furit.
Est mihi Marcus item Carpenſis: at iste Poëſis
Cultor agit, mille carmina sæpe loquens.
Est Jacobus item Reatinus, & ille Philelphi
Sæpe subit tecta, sæpeq; nostra cibant.
Hic jocus est nobis, quanquam est doctissim^o inter
Quos tenet aut Nilus, vel plaga adusta capit.
Inter & hæc miror, valeant quid habere sinistri
Membra mea? at doleo non minùs ipse caput.

AD CONSTANTIUM ROGIERIUM BARGIAM,
Juris Conf. de situ ac splendore
Urbis Venetæ.

Mirari & meritò poteris, siluisse Philelphum
Usq; adeò: At justa est, quæ mihi causa fuit.
De-

Debueram centum, fateor, misisse tabellas,
 Milleq; carminibus hospes adesse tibi.
 Debueram fateor, studii nisi magna fuisset
 Cura mei: fateor, scribere debueram.
 Sed nulla hic superesse mihi valet hora diei:
 Omnia sunt Venetis otia nostra viris.
 Non nego magna mihi data præmia; digna labore
 Munera sunt nostro: digna labore Ducis.
 Sed nego, posse aliis me deservire volentem,
 Cum quibus antè fui junctus amicitia.
 Hæc eadem ratio mihi te tacuisse putandum
 Jure jubet: studiis deditus ipse quoque es.
 Namque Gisimberto te successisse Johanni
 Novimus: est igitur non tibi cura minor.
 Nunc autem postquam vacuus sum sæpe labore
 Assiduo studii, quo vaco, scribo libens.
 Et quid agam, brevibus tandem recitabo camænis,
 Ne grave sit tibi post scribere plura mihi.
 Venimus ad Venetos, quo fata tulere benigna:
 Egregios patres, eximiumque locum.
 Principio urbs modico tetigit jam culmina rerum,
 Et superat, quot habet orbis utrinque domos.
 Nec, mihi crede, fuit tam digna urbs illa Quirini
 Laudibus, & claræ quam vehat artis opus:
 Quàm Veneta urbs medios inter quoscunq; Lati-
 Digna super meruit sidera laude vehi. (nos
 Sed ne fortè putes, Venetorum ductus amore
 Hæc recitem, accipito, quid Veneti valeant. (ri,
 Urbs hæc sola quidem est, nequeant cui bella mina-
 Quam nequit obsessam cuncta tenere phalanx.
 In medio nam structa salo est, venerabilis auro,
 Sed multo & gelido marmore cincta quidem.
 Singula marmoreo domus est fundamine cœpta,
 Singula Cæsareum ducit ad astra caput.

I

Quod-

Quodq; dom^o specimen sit, si petis: alta columnis
 Adjacet æthereis inter utramq; plagam.
 Janua nam domui cuiq; est, quam littus adornat,
 Janua, quæ terra est, si gradiere, via.
 Nam domus artificû manibus constructa, fluebat
 Hic ubi limpha prius, quod fuit ante mare, est.
 Hic tibi quid memorem, obstupui quas sæpe fene-
 Quas aurû decorat? sculptaq; signa manu? (stras,
 Interius quid erunt? quoddam admirabile nostris
 Luminibus: quid erunt? tecta sacrata deis.
 Rideo Trojanis tribuunt quæ Pergama prisca,
 Rideo Romanis quas tribuere domos.
 Rideo quod Salomon templum erexisse refertur,
 Quodve soror tenuit, quod canit ille, Jovis.
 Regia sunt Venetûm profectò hæc singula tecta,
 Tempa tenet Marcus æquiparanda polo.
 Quasq; habet hoc templum gemmas celsosq; py-
 Vix queat annalis pagina longa loqui. (ropos,
 Ante fores platea est templi sita marmore mixtim,
 Et latere in gyros sat speciosa suos.
 Hic ubi Dux Venetûm, veteri pereunte, creatur,
 Luditur hastili machina multa manu.
 Tanta est, ut decies Taurini hinc posse plateam
 Dilituisse putes terq; quaterq; simul.
 Marmore texta vides hinc singula mœnia templi
 Ænea porta tamen quælibet, atq; gradus.
 Limina æna nitent, stridet quoq; cardo metallû,
 Quid tabulas narrem, Borgia chare, tibi.
 Phydia nil clari, Copa nil præstantis in orbe
 Praxitelésve dedit, vel Polycletus inops:
 Euphranórve aliquis, quod non sit mœnibus hisce,
 Hic poteris Nicysæ sæpe videre manus.
 Quattuor ante patent, aditu quos cernere primo
 Omnis equos poterit, quos Nova Roma dedit.

Nec vivos spectare velis, modò cernere possis
 Hos; adeò præstant, quos stupuisse queas.
 Liminis ingressu videas, quando ipsa creavit
 Cuncta Deus, veteris omnia Patris Adæ.
 Utq; ubi peccarunt, paradisi ejectus honore
 Decidit in stygios ille vel illa lacus.
 Utque ubi tot fluxere dies, Abrahamque Noheq;,
 Et reliqui casus, Christus in orbe viret.
 Nascitur utque utero Sacratæ Virginis almo,
 Utque docet veras posteritatis opes.
 Utq; ubi pro nobis passus tot vulnera, sævæ
 Occubuit morti, postque sepultus humi est:
 Ex Acheronte Patres sancto sevevit ad astra,
 Christicolisque dedit signa verenda suis.
 Omnia Mosaico posita hic sunt prisca labore,
 Sive vitrum fuerit, sive bitumen opus.
 Quolibet huc festo Dux atque Senatus adeste
 Est opus, ut curent, sacraque festa colant.
 Quis valet hic meminisse viros vir, amice, togatos?
 Dixeris esse piæ religionis opus. (fulget?
 Cerea quanta patent? quanta hic quoq; purpura,
 Proh Deus! esse putes, Borgia, mille duces.
 Solus at est Venetum Dux; hic cognoscitur inter
 Mille viros, quos habent testata sacrata pares.
 Dux gerit hic chlamydem, byrrhettum devehit atq;
 Quo valeat reliquis notior esse viris.
 In Duce majestas nam præsidet, inque Senatu
 Majestas: sed & est hæc prior, hæc q; minor.
 Hic fileo, ordinibus quis progrediantur in ædem,
 Quæ Ducis est sedes hæc prope templa, Patres?
 Quidq; agitent, postquam tectum subiére ducale?
 Nam teritur nihil hic temporis: omne juvat.
 Quin etiam festis post prandia facta diebus
 Consilio intersunt mille senatorii.

Quisq; magistratus, quem non nisi nobilis intrat
 Consulibus Patribus traditur hic meritò.
 Nemo autem præses, nisi sit virtute refertus,
 Nemo prior, nisi sit laudibus, esse potest.
 Prætereo Patres, quos hi dixere rogatos,
 Cum quibus est rerum summa agitata viris,
 Procuratores fileo, mî Borgia, Marci
 Debueram tibi quos post cecinisse Ducem.
 Nam prior est reliquis gradus hic, quem non nisi
 Religionem probus, laudibus atq; subit. (cuncta
 Hic partitur opes humili plerasq; puella,
 Plerasque ægrotis, multa que pauperibus.
 Dimitto ecclesias, quibus est urbs plena decoris,
 Corpora Sanctorum, quæ pia templa tegunt.
 Prætereo tacitus, quid Claudia, quidq; Muranum,
 Torzillumque ferant rura propinqua boni:
 Claudia sal mittit, mittit Crystalla Muranum,
 Ex Mestris, ex aliis vina segesque locis.
 Urbem Antenoriâ linquo, Patavinâq; rura,
 Adriaci & quidquid circuit unda freti.
 Sat mihi sit, Venetos memorare, atq; intima posse
 Ferre brevi, quibus est Urbs bona septa bonis.
 Dorfanale vocant, locus est hic classibus aptus,
 Hic mihi non tacitus prætereundus erit.
 Qui quoniam est, cujus similis non ullus in orbe est.
 Nec fuit antè * latius extet opus.
 Mœnia sunt medio Neptuni in littore: porta
 Una jacet, custos quam sedet ante frequens,
 Intus habent artes diverso tegmine multas,
 Tecta, casasq; quibus classica cuncta parant.
 Hic remos, struit ille rates, rotat ille rudentes,
 Hic dolat, ille polit ligna trabesq; manu.
 Ille picem ponit, velum hic, locat ille carinam:
 Quas metuat classes orbis, utrinque locant.

Scorpio conficitur manibus pedibusq; rotandus,
 Quo jacias jaculum vix ariete minus. (ignis

Hic strepitus lapidum, quibus est data buccina &
 Sulphureus monstrat saxa rotanda foco.

Ergo ubi magnifici cupies monumenta palati
 Cernere, quæ imperio sint tibi visa Patrum:

Ingressu accipies arcus tot, totque sagittas,
 Armaq; quæ poteris connumerare virum.

Tot galeas, enses, clypeos, parmasque viriles,
 Quot nec habent omnes undique belligeri.

Scorpio quisq; rotam secum tenet: inde videbis
 Loricam, hinc Thorax, & tunica apta jacet.

Quid moror? hoc satis est, uno quod dixero verbo,
 Singula ne experiar dicere velle brevi.

Quando opus est, centum bello posuisse triremes,
 Et naves totidem, plura parata vides. (per

Nec marcescit iners hæc machina: Nam nova sem-
 Omnia sunt, uno sint velut acta die.

In variis etenim regionibus inde triremes
 Tot videas, ut & hæc omnia pauca putes.

Hinc tres in Tanaim: tres in Babylonia regna:
 Occiduas totidem sæpe adiere domos.

Ad Siculos aliæ: in Cyprum volat una triremis:
 Mille notis præbent vela sinusque suis.

Nemare prædonum validâ calcetur Eryne
 Hæc prohibent: scelus hoc classica bella vetant.

Navibus at quid agunt Veneti? quæ navis in hæc est
 Urbe velut geminis montibus unda duplex.

Namq; ut Aragonii Regis perfecta carina
 Illa fuit, Veneti constituere duas.

Mille aliæ puppes: myoparon creber: & omnis
 Navigii species, quam vehat unda sali.

Robora silvarum capita alta ferentia dicas
 Esse: quid hinc referam, quæ quoq; lucra ferant?

Nam nihil Oceanus determinat: India nil dat,
 Ægyptúsve boni, nil dat uterque polus,
 Nil mare, nil tellus, nil confert ignis, & aër,
 Quod non sit Venetis: huc fluit omne nemus.
 Huc Bacchusq; Ceresq; volant: dom^o omnis abun-
 Hic auro: hic gemmæ sunt, ut arena mari. (dat
 Balsamon hic; piper ille vehit, piperisq; ministros,
 Cinnamon, & quidquid dant calidû Æthiopes,
 Sericeum facit hic, fruit ille argentea cælo:
 Purpureo necit ille colore vices.
 Nec varius tantis annus est mensibus, ut sunt
 Diversi artifices, artificumq; decus.
 Sed cum cuncta velis rimari, & singula rectè
 Perspicies, nihil est si gradière magis.
 Nam venies tandem Rivalti ad mœnia pulchri:
 Hic honor, hic Venetûm luxq; fidesq; patet.
 Tot varios homines videas uno ordine fungi
 Officio regum, vestibus atque modo.
 Incessu, gradibus, verbis, moderamine, vultu,
 Cæsarei ut cunctos seminis esse putes. (nas?
 Quid memorem, quot habet virtute Urbs ista Dia-
 Sive Helenas specie? vel Veneres placidas?
 Quid recitem mores urbis? liqui inclyta multa:
 Sive Magistratus, doctiloquosq; patres:
 Sive Domos claras; sive hæc, quæ nullus abundè
 Enumeret, quamvis carmina mille canat.
 Inter & hæc Marius tuus inclyta tanta triumphat:
 Scis modò, quid faciam, matre favente Jesu.

AD FRANCISCUM JUSTINIANUM,
 quod non metuat adversam Ma-
 rii valetudinem.

QUando Muraneâ placidâ requiescis in umbrâ,
 Nec memor es nostri, sis, precor, antè memot.

Deniq; ne frustra tua nos aboleverit auris,
 Oblitusve mei sis, tibi poena datur.
 Ut cyathum insignem cures mea tecta subire,
 Quando Muranae est hoc dare munus opis.
 Nam veluti febriens Bacchum limphamve petebam,
 Cum melius valeo, vitrea pulchra peto.
 Sed te praecipue cupio, Francisce, videre,
 Quem videor centum non tetigisse dies.
 Adde, quod & Michael, te non veniente, moratur:
 Sive domi, seu sit in regione, latet.
 Eja age dimidium vitae, Francisce, Philelphi,
 Ne timeas nostros, Justiniane, lares.
 Febris erat primum; stomachi dolor inde: timere
 Desine; non pestis insidiosa mihi est.

Eulogium

FRANCISCI FOSCARI, ADOLESCENTIS, NEPOTIS
 Serenissimi quondam Fr. Fos-
 scari Ducis Venet.

Miraris quicumque; aurum, mundanaque; passim
 Singula; mirari desine vana, precor.
 Foscara progenies, titulis redimita vetustis,
 Stirps mihi: Franciscus, Dux Venetae Urbis, avus.
 Vix ego ter senos natus miserabilis annos,
 Hoc situs in gelido marmore, pulvis ero.
 Non robur, nec forma viros, nec amor, nec amicæ
 Divitiæ: Virtus divificare potest.

ALIUD PRO EODEM FR. FOSCARO

Eulogium.

Foscarus in teneris Franciscus mortuus annis,
 Hoc situs in gelido marmore, multa docet.
 Esse nihil proprium saeculo: decus omne caducum
 Orbis, & excelsi quidquid es, esse nihil.

Dux avus huic fuerat : fuit hic ditissimus : ipso
 Fortior Alcide, pulchrior unus Hylâ.
 Sed nec id est homini, nec id est optabile nobis :
 Æthereo comes est inclyta fama Jovi.

ALIUD PRO EODEM FR. FOSCARO
 Eulogium.

Dux Venetæ Urbis, avus; Ducis est mihi nomen:
 habebam,

Quidquid in orbe nitet, cæcaq; turba colit,
 Sed nec id auxilio, nec id est : rapuere tenello
 Fata mihi egregiæ posteritatis opes.
 Dum studio incubui, dum me vigilantius ausim
 Tradere doctiloquis vatibus, en ! retrahor.
 Disce igitur sperare nihil, nisi vivere cælo,
 Si quis es, infausi qui cupis orbis opem.

ALIUD PRO EODEM FR. FOSCARO
 Eulogium.

Qui paulò antè fui Venetâ celebratus in Urbe,
 Nunc super æthereos vendico regna polos.

ALIUD PRO EODEM FR. FOSCARO
 Eulogium.

Defuit omne aurum, pompæ decus, Urbis hono-
 Est comes ad superos fama serena domos. (res:

AD NICOLAUM FOSCARUM,
 quod ferat æquo animo funus Fr. Fo-
 scari, sui fratris germani.

Quos geminos dedit hora brevis, cape quæso,
 Disceq; Francisci funera posse pati. (Philelphi,
 Disceq; Virtuti te totum tradere sanctæ,
 Disceq; perpetuum, præter id, esse nihil.

For-

Forma cadit, laevisq; cutis; manet omnia saecula
 Mentis honos; probitas est tibi semper opi.
 Quod reliquum est, sperare potes, pia sidera fratrem
 Cernere jure tuum, qui pius orbe fuit.

AD LUCRETIAM FOSCARAM,
 quod sit ei ferendum æquo animo funus
 Fr. Foscar, filii sui.

Crede, parens, genitum, suprema pericula passum
 In teneris annis numen habere polo.
 Nicoleonq; doce, non esse optabile quicquam,
 Quod queat hora brevis surripuisse viro.
 Nestoris hic annos superet licet, esse putato
 Nil, fat in orbe diu vivere; pulvis erit.
 Sed quem fama potest post fata extrema tueri,
 Ille habet eximii quidquid in orbe fuit.

AD CL. SENATORES VENETOS,
 quod licuerit Mario, eos persequi, à
 quibus fuit injuriâ lacesitus.

Tertia, quam quererer prius, est mihi missa tabella,
 Plena libidinibus quælibet atq; dolis.
 Singula quid referat, pudor est meminisse mode-
 Sit licet id vitii non puduisse leves. (Ita,
 Scire velim, quis jure neget, potuisse moveri
 Mecitiùs, quando sapius antè vocor.
 Postquam me toties ab iniquis sentio lædi,
 Ignotisq; mihi, provoco jura Patrum.
 Jure lacescito toties licet ante Senatum
 Scripta queri in probrum dedecus atq; meum.
 Quod si fortè putet quisquam non esse dolendum,
 Falsa quod hæc nobis objicit artis inops:
 Causa duplex, quererer, monuit: quod & alti hoc
 Crimen, & ex alio devehit arma viro. (est
 Et

Et bona quod cum mens se lædi nōrit, acerbè
 Fert: grave nam magis est vulnus in ore boni.
 Credere difficile est, quos non cognovimus un-
 Illos posse mihi mille movere dolos. (quam,
 Quod si etiam fuerint humiles, ceu carmina cuncta
 Missa patent, habuit quod quereretur honos,
 Non etenim erubuit Faunum iove natus inermè
 Sternere, stymphalidas cum domuisset aves:
 Non quod aprum rabidum fuerit cervamq; secut⁹,
 Quodq; humeris tergus composuisset atrox.
 Quis dubitet magnus parvis contendererebus,
 Cum noceat grandi mus quoq; sæpe feræ?
 Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
 E minimo crescens nubila & astra tenet.
 Quod nisi digna foret famosi carminis ira,
 Et nisi plectendus carminis hujus amor;
 Plena forent pœnis non ipsa volumina Legum,
 Quas decet auctores hujus in orbe pati.
 Linquamus Leges, quando hic ne legibus uti
 lis licet, en! Satyri carmen in hoc vitium.
 In vitium cecidit libertas; vatibus est lex
 Tradita: prohibuit lex maledicta cani.
 Quod Cicero in Crispum, atq; in Marcum Crispus
 Jure ausus fuerit scripta nefanda dare; (eodem
 Non ratio est eadem nobis: pare Marte fuerunt
 Bella viris gravibus, dispare pugna mihi.
 Adde quod errarunt ambo: nec id ergò licebit
 Is itidem, in quos est facta querela leves.
 Poggius antiquo livore, Philelphus honesto
 Jure pares culpas eripuerè jocos.
 Sed pater egregiâ Venetos virtute coronat:
 Cognita sunt Patribus scripta, Philelphæ, tua.
 Nunc quoniam semel esse meis iterumq; camœnis
 Sereferunt læsos procubuisse metris;

Id nego, nec poterunt in sæcula mille probare:

Dignatum hos numeris me, facer ordo, meis.

Carmina ficta quidem duo sunt, quæ carmina nun-

scripsimus, aut scribi iussim⁹ illa, Patres. (quam

Ecquid erat nobis cum te, Planella? vel illo,

Qui comes esietuus dicitur? ecquid erat?

Num furiosus eram, sine qui ratione moverer?

Sive ferâ fueram dirior ipse tygre?

Illam nequit, nisi tu laqueis hanc fortè lacescis,

Sit licet indomita res, nocuisse tibi.

Quod si quando probent acies movisse loquaces

Me, fileo; atq; animo comprimo frena meo.

Ergò agite ô Proceres, sancti lux una Senatus!

Reddite vaniloquis præmia digna viris.

Non solet hoc Marcus, Veneti nec fama Senatus

Turpiloquos Venetum tecta habitare, pati.

Discite, sed primus fuerit quis carminis auctor:

Crederè difficile est, hosce fuisse duos.

Hæc aliunde fluunt: Etenim quos lectio nostra

Torquet, id invidiâ constituisse puto.

At me non poterit livore dolisve movere

Ullus ab officiis, codicibusq; sacris.

Pulchra legam veterum, probitatis munera, dicta;

Nitar & eximios reddere in orbe viros. (bunt;

Et mea quàm Venetis Patribus documenta place-

Urbs mihi tam Venetum sit placitura quidem.

Quandoq; fortè aliò seniùmve vel astra vocabunt,

Mens erit in Venetos nostra locata lares.

Ergò agite ô quorum fama est vulgata per orbem,

Iustitiâq; quibus nil proprium magis est:

Plectite, qui nequeunt linguam frenare loquacem,

Erratiq; luant digna pericla sui.

Namq; velut scabies centum confundit utrius (ant.

Quod duo nunc valeant, mox quoq; mille que-

Non

Non dubito, quoniam Proceres servatis honestū,
Præmia criminibus hos dare digna suis.

Ad

MAG. JACOBUM ANTONIUM MARCELEUM,
quod deinceps si ei de suo voto
benè sperandum.

HAstenus incubui studio vigili usq; loquendi:
Nunc, Jacobe, tuum pergo subire librum.
Cum Sextilis aget Mariæ celebrabile festum,
Cura erit à reliquis nostra remissa libris.
Solutus erit manibus nostris tuus ille, frequenter
Quem tibi donamus historiographion.
Dum modò magnifici quicquam referam⁹ in illo,
Clare Jacobe, tua quod dedit antè manus.
Sive lacum quando fertur subiisse Lemantum
Clasfis ab Adriaco, te duce, missa mari.
Sive quod obsessam metuens se Bryxia perdi,
Accessu exultat libera facta tuo.
Sive hoc, sive aliud, quo te mea prosa futuris
Narret, & excipias posteritatis opes.
Quorum aliquid prisco si fortè fuisset in ævo,
Jam foret in cuncto codice pictus honos.
Scipio namq; ausus Libycas superare phalanges:
Non majora tuis artibus arma dedit.
Dignus es ergò, virū celebrent quem mille poëta,
Quiq; me a sæpe commemorere lyrâ.
Tu modò nos contra, Marcelle benigne, clientes
Dilige: nam poscit nostra Thalia coli.
Rarò etiam si fortè tuas ad venimus ædes:
Parce precor: ratio est lectio nostra potens.
AD JO: ALOYSIUM GUIDOBONUM,
quod non debeant docti vulgi sen-
tentiam magnifacere.

Tu-

Titus, Aloyfi, mea quod sis carmina, grates
 Reddere non opis est, mi Guidobone, meæ.
 Sed si quando tuis potero conferre camœnis,
 Me memorem accipies muneris esse tui.
 Nunc autem, quanta est aliquot vecordia vaftris,
 Ritè tenes; livor quid solet invidiæ.
 At satis est placuisse viris, qui laude referti
 Magnificis tollant carmina nostra modis.
 Qualis in Angvigeri Ducis est modò copia rectis:
 Qualis ab Insubrium missus & ipse Duce,
 Sat sit & aurati laudari mente Senatus,
 Egregiumq; meæ munus habere lyræ.
 Sat sit ab eximiis, quidquid queo, posse probari;
 Qualis in hâc doctus quilibet urbe vir est.
 Sed si tantus amor stolido est mea carpere vulgo,
 Et mordere, mei quidquid in arce viret. (sam
 Nil aliud studeant, mea quàm modò carmina, pro-
 Et modò carpendo, sanguinem & exta vomant.
 Antigonem Juno qualem: Tritonia Arachnen:
 Qualis & à Phœbo Marsia victus item.
 Turba erit hæc talis mecum: Leo nullus inertes
 Prosequitur lepores, Herculis arma gero.
 Terribiles pecudû formas, fera monstra Gigantû
 Sternere clava potest: negligit ergò canes.

AD LUCRETIAM PETRAM, PAPIENSEM,
 quod ejus effigies ad se amandam
 homines vocet.

Hectora Dardanium, titulis compulsa pudicis,
 Penthesileâ virum casta puella colit.
 Audet in ignotum Thomyris clarissima Cyrum,
 Et capitur famâ scœmina dira Ducis.
 Phœb° amat Daphnê, licet est nec cognita Daphne,
 Nititur in frondes fama sonora suas.

Mars

Mars amat hoc Venerē, Veneris quia forma venu-
 Auditū, & quoniā pectora picta placent. (sta est:
Hippolytus laudum numero coluisse Dianam
 Dicitur, & pharetram sustinuisse feram.
 Sic homines veneramur eos, sic odimus illos,
 Quosve tulit virtus, quosve nefas rapuit.
 Quando ergo in mediā domus est mihi visa Papiā,
 Quæ Vestæ aut Phœbes visa putata fuit.
 Et quando in quādam tabulā, medioq; cubili
 Prospicio faciem scilicet egregiam:
 Omnis ab effigie est tua tunc mihi cognita virtus:
 Pendet ab aspectu splendor honosq; tuo.
 Artificem laudo, quo non, me iudice, quisquam
 Praxiteles melior, Phydia, sive Copas.
 Sed magis extollo dominam, cui munera cœlum^r
 Tanta dedit, quantis, dia puella, nites.
 Cumq; rogo: quæ sis? divina Lucretia narrat
 Est ea, quæ cunctis præstat in orbe bonis,
 Est ea, quæ specie nulli concedat honestā,
 Quæq; pudicitiam pollet & ingenio.
 Docta refert veterum res gestas, facta priorum,
 Eloquio excellit mente animoq; viros.
 Antonî te voce prius cognovimus ergo:
 Atq; Philibertus te dedit antè mihi.
 Picta places, laudata places, gratisfima multò,
 Tota places, forma, gestus, & effigies.
 Quàm bene nomē habes, præclara Lucretia, dignū!
 Nomine degenerat nec tua fama suo.
 Maluit illa mori cœco trafixa mucrone,
 Quàm scelus, atq; pati casta puella dolos.
 Te quoq; constantem, cognomen dicit honestum:
 Es petra; quid saxo sævius esse queat?
 Convenit ingenio nomen, cognomen apricis
 Laudibus, & formæ picta figura tuæ.

Hanc

Hanc ego cum meditor, veluti te numen adoro:

Sola corona tibi sit, potes inde coli.

Gratulor huic Ticino, peperit qui fideris instar

Sidereo majus lumine quidquid habes.

Sic ego te laudum cumulo famæq; decore,

Ductus præcipuâ religione, colo.

Quodq; tibi valeo solum minimumq; poëta

Præbeo; carminibus ut memorere meis.

AD CATONEM SACCUM, JURISCONSULTUM,

quod ejus podagra sit odio

habenda.

Dira podagra fuge, & quô te vocat ardu^o error,

In Phlegetonteos perge nefanda lacus!

Si placet hic orbis, miserosq; pigrosq; rebellis

Punge: nec in tantum dirige bella virum.

Est Cato, quem celebrent populi, quem nume ad-

Egregii quotquot emicuere viri. (orent,

Est Cato Sulpitio melior, priscoq; Catone:

Linque igitur tantos sæva podagra pedes.

Nodosos potius Reges, & robore plenos

Maceret exitium, morbe scelestæ, tuum.

Utilis hic populis, studiis, laudiq; latinæ est:

Pone modum pesti frenaq; pressa tuæ. (det,

Hoc breve, Clare Cato, tibi junge; podagra rece-

lbit & ad pigros morbus iniquus avos.

Crede mihi, è cælo est carmen; dedit alm^o Apollo,

Qui tibi, quâcunq; es sorte locove, favet.

Sit tua casta tamen, sitq; intemerata supellex:

Nutritur morbus iste libidinibus. (gra:

Bacchus amat Cererem; Cererem colit ipsa poda-

Quale tibi desit, desit utrumq; nocens.

AD

AD MARTINUM LEFRANCUM, PRÆPOSITUM
Lausanensem, & Apostolicum
Protonotarium.

Magnus es, & magnis si delectare Lefrance,
Parvaq; contemnis, vulgus id omne solet.
Magnus es in tanto fastu cumuloq; triumphi,
Ut nullum metuas posteritatis opus.
Nec ducis, tibi posse viros, nec fata nocere,
Sape etiam socios negligis ergò tuos.
Quid socios dixi, socios nisi carmina reddant?
Magnus es, & parvo non potes esse comes.
Ergo sodalitiū es, veterisq; oblitus amoris,
Promissamq; fidem despicias atq; manum.
Nonne, ubi tendebas ad mœnia prisca Quirini,
Pollicitus fueras scribere multa mihi?
Nonne Pio dixi, quod commendare Philelphum
Sis memor? officii es immemor ergò tui.
Quin etiam, quæ parva data est tibi nostra tabella,
Danda Pio, quò se verterit inde, latet.
Forfitan ambiguis nec Romam pasibus errans
Vidit, at est humili fortè sepulta lacu.
Non rebar, potuisse homines mutarier, altum
Quos fortuna vehat, efferat atq; dies. (bris,
Nunc autē quàm forma placet mihi picta bimem-
Cui caput est asini, cœtera membra viri,
Si meditare tamen, quod te tua maxima virtus
Extulit, & quod te lausq; decusq; vocant:
Non eris alter homo, fueris quàm sidera quondā
Quando tibi erectum surripuere caput.
Clarus eras aliàs Ducis ad latus, atq; favebant
Cuncta tibi, & fuerat undiq; dignus honos.
Ast & amicitia tenuisti munera dulcis,
Magnus eras; parvi fautor at ipse mei.

Talis

Talis eras, qualem probitasq; fidesq; dedere,
 Qualia succurrunt maxima regna bonis.
 Nunc alius factus fueris cur? curve minoris
 Sis laudis? miror. Qualis es obstupear.
 Sed tibi dicta joco sint omnia; fortè Lefranco est
 Causa meo, & siluit cum ratione mihi.
 Otia fortassis non sunt tibi, maxima rerum
 Sunt ubi: & in modico non potes esse viro.
 Et quia pertractas graviora negotia, nobis
 Esse nequis facilis, & tua musa tacet.
 Hæc tibi si ratio est, fateor, mea vana querela est:
 Sed sequere officium, clare Lefrance, tuum.
 Otia quando tibi fuerint, tibi quando superfit
 Tempus, in exiguos prospice quæso viros.
 Tunc poteris meminisse mei, tunc carmina nobis
 Mitte duo, ut, quâ sis in regione, sciam.
 Quid facias, spes ulla manet si vera Poëtas:
 Quove velis Marium Marte fovere tuum?

AD CHRISTUM DEUM, QUOD FOVEAT
 Marium peccatorem, pœnitentem
 erratorum.

CHRISTE, Deus populi, Rexq; intemerate virorū,
 Te veneror supplex, cumq; timore colo.
 Tu Deus, in terris utero conclusus honestæ
 Virginis, es mixtim Virq; Deusq; viris.
 Verus homo, & verus Deus es, quem Spiritus alm^o
 Virgineo foetu Virginis aure refert.
 Intactiq; uteri servatis postibus, orbi
 Natus es, & sæclis stirps nova: sancta fides.
 Quiq; hominū mortale gen^o, moribundaq; mem-
 Suscipiens, fu si Sangvinis usus opes. (bra
 Debeo quanta tibi, meditor si, Christe: Poësis
 Omnis ab ingenio concidit atra meo.

K

Ipse

Ipse pati non es veritus, ne crimina nostra
 Ulla forent primis exitiosa malis.
 Néve Giganteos animos, Furiasq; rebelles
 Cerberus accipiat, natus es ipse mori.
 Néve Erebi fervor rabidos trahat orbis hiatus,
 Agnus es ad vittas traditus inde sacras,
 Te Fauni veniente silent, Satyriq; procaces;
 Veraq; pro falsis est tua forma deis. (inquam
 Verba quot in populos? exempla q; quanta? quot
 Monstrasti ingenii signa pudica tui?
 Nil vatri, nil, Christe, mali, scelerisve, jocive
 Ore tuo: at quid quid lausq; decusq; refert.
 Heu mihi! si penssem, quæ deniq; vulnera passus
 Justus es indigne? quod genus atq; necis?
 Pastor oves tutatus, agros, fructusq; severè
 Tutus, habes diræ præmia sæva crucis.
 Ludibrium genti datus es, lususq; prophanæ;
 Mors tibi pro tanto munere: durus honos,
 Quid tibi restituum? præcordia trita dolore,
 Et gravibus lachrymis crimina multa luam,
 Nec gemitu exsolvam, nec fletibus inclyta dona
 Christe crucis, quâ tu vulnera cæca doles.
 Sola mihi pietas sanctum placabit Jesum:
 Sola mihi Christum reddat amica fides.
 Quemq; mihi adversum peccata nefasq; dedere,
 Hunc mihi restituent mens pia, castus amor.
 Ergò Deus miserere mei! miserare precantem!
 Pone modum rebus, Christe colende, meis!
 Dirige me, quo vis gradiar; via cognita sit, quâ
 Incedam ad superos post mea fata lares.
 Da mihi continuè mea dura piacula flere,
 Da, me contrito corde dolere mala,
 Et quòcunq; ruam, me protege, fautor Jesu!
 Impietatis opus nec meditère meæ.

Tu mihi sola salus: morbi sisq; una medela!
 Una quies rebus temporibusque meis!
 Deniq; quidquid agam, tua vulnera sancta repensē
 Atq; animo teneam, quantus es ipse Deus.
 Nil loquar inspidum, faciam nil turpe; sed uni
 Me tibi devoveam: merege, Christe Deus!

AD GALEAZUM MARIAM, COMITEM
 Papiæ loquitur equus, ei à Mario
 dono datus.

ME tuus, ô Galeaz, Comes inclyte, servulus ad te
 Dedit huc Marius: me dedit ille tibi.
 Sum novus: æquoreo primus mihi pulvere cursus,
 Et cervos saltu vinco per arva meo.
 Imperio freni, stimulis licet actus acerbis,
 Tempero me, quoties fāsve nefāsve jubet.
 Sæpe meos mulier passus prospexit & artes,
 Et merui laudes inter utrumque chorum.
 Montibus in mediis glaciésq; nivesq; cecidi:
 Securus nusquam me magis ullus equus.
 Cornipedem nullū, similem mihi, tradidit orbis,
 Monychus haud Macedūm par fuit ille mihi.
 Quiq; fuit Græco Tydidæ, hic ipse fuifsem:
 Te tamen indignum Principemunus eram.
 Ast ubi se Marius vovit tibi, nulla putavit
 Vana fore in Dominum, quantulacunq; suum.

AD CAROLUM DAINENSEM, MANTUANUM,
 quod sit novus homo, & unicè
 irridendus.

Humida nox aderat, Phœbusq; reliquerat auras,
 Mersus in Oceanum: Luna nitebat iners,
 Arida reddebant candentes arva pruina,
 Bruma comas ramis undiq; sparsa rapit.

Cum tua missa mihi sunt carmina reddita, nervo
 Edita, Castaliæ quod coluere deæ.
 Nixerat in terris, glaciesq; uberrima campis;
 Vulcanus fuerat sola medela viris.
 Alba pruinoso candebant tecta furore,
 Humanas texit canaq; bruma domos,
 Atq; aqua riguerat, gelidoq; negata sopore
 Currere, sustinuit frigore pressa pedes.
 Et facie Boreas spirabat in ora nivali,
 Parcebat manibus sæva nec aura meis,
 Flamma meos artus, & membra remissa levabat,
 Vixq; mihi flammæ surripuere gelu,
 Pigra manus calamo; segnis mea musa camœnis:
 Vix poteram tabulas lumine nosse tuas.
 Attamen in nivibus mediis, & frigore tanto,
 Sopivit gelidam lecta tabella luem.
 Sic Acherontæas undas, Stygiamq; paludem
 Orpheus ut presit, hæc mala visa chelys.
 Ille ubi cantabat, nudis è montibus orni
 Et platani ad cantus obstupuere viri.
 Saxa cavas liquere suas, & flumina ripas:
 In nemore, in silvis conticuere feræ.
 Horrebat flavum nec cerva fugata leonem,
 Nec lepores blandos tunc timuere canes.
 Omnis erat modulis vatis concordia rerum,
 Cerberus & siluit, turbaq; cuncta ferox.
 Sicut tua cum legi, mi Carole, carmina, totus
 In cytharis jacui; concidit humor edax.
 Quidquid tempestas, quidquid nix horrida duri
 Tradidit, omne tuæ surripuere lyræ.
 Quid memorem Codrû? quid dixit & ille togatas?
 Hic elegos? Solus Codrus es ipse novus.
 Telephus ex illo est, sed ab illo scriptus Orestes:
 Tu valeas, quidquid majus in orbe tonat.

Et postquam laudas me pl^o, quàm nostra merentur
Præmia, te laudo pro meritis titulis.

Judice me, tanto es, mi Carole, dignus honore,

Quanto erat in veteres ille Cethegus avos.

Nec tibi convenient duntaxat laurea ierta,

Sed fagi patulæ, buxus & ipsa ferax.

Pampinus atq; tuæ cingenda est, Carole, fronti,

Et latis ulmis est tua digna coma.

Quod si prima viris plauserunt numina priscis,

Quos laudes nosset promeruisse Deum.

Quid tibi non struimus templum? quid vana mora-

Tempora? nam dignus totus es ipse coli. (mur

Quid Neptunus habet sævum pro jure tridentem?

Ense potens Mars est? Mercurius velyrâ?

Quid pharetram Phœbus? quid fulgura Juppiter

Jam tibi debentur munera digna deo. (effert?

Quando quidem tantus brevibus tam mensibus, &

Egregius vates factus es, obstupeo. (tam

Quando quidem mutata tibi sunt cuncta; poëta

Factus es: ergo auro dignus es ipse tuo.

Quis non miretur? quis non, velut arma Medusæ

Cernat, homo in lapidem, Carole, versus erit?

Pollicitus tuæ multa mihi, non pauca fateris

Esse tibi mecum pignora amicitia.

Non hæc despicio: sed me puto nempe beatum,

Quod tua tanta libens polliceare mihi.

Non es Cræsus, ais? Cræso præstantior ipso

Es Mida: sat dives, cum tibi tantus honos.

Sed postquam libuit tibi nos laudare Poëtæ,

Quid tibi pro tanto munere reddidero?

Non aliud, nisi quod, cum carmina nostra futura

Sint longæva, tibi gratificentur ea. (ille:

Qualis ab Annibale est duce Phormio cognitus

Talis in his modulis cognitus ipse fies.

Quantaq; Thersitæ dederit pia gloria; tanta
 Dent tibi, qui poterunt posteritate frui.
 Unus es in populis, illo & Busiride major,
 Unus es ingenio præditus atq; novo.
 Carole, collaudo te non nisi tanta merentem:
 Quàm benè Virgilio par potes esse tuo?
 Imò etiam, si fortè velis, sis major Homero:
 Ilion & Romam factaq; prisca fones.
 Non ignoro, novus quod cantus fiet in orbe,
 Carmine si cupies bella movere tuo.
 Si versus elegos tractes, quis defleat illis
 Auditis? risus quis cohibere queat?
 Cuncta tibi natura parens donavit abundè:
 Exuperas proavos cum genitore tuos.
 Maxima in exiguo te regnat corpore virtus:
 Quale sit ingenium, membra severa docent.
 Hæc ego: me quoniam tollis super æthera, qualem
 Nec valuit mundus parturisse virum.
 Otia quando mihi fuerint majora, tabellas
 Tunc tibi grandisonas, forte favente, dabo.
 Perlege, Pontifici quæ carmina misimus isti,
 Cui Pius est nomen, quod fuit antè pius.
 Æneas fuerat: pius ergò. Quid ille remisit
 Non facile est dictu: maxima dona dedit.

Eulogium.

PRO ILL. BERNARDO, MARCHIONE
 Baudensi, qui sanctus colitur.

Cuius in æthereâ mens optima sede quiescit,
 Marchio Baudensis clauditur his loculis.
 Quanta fuit pietas homini, quamq; inclyta Virtus
 Bernardo, docuit vita pudica viros.
 Post obitum miracula facit: populus quoq; supplex
 Pro meritis votum reddit utrinq; pium.

AD VENTOS ET PROCELLAS,
quod Marianâ domo in infernum
procedant.

BRuma domos, gelidæq; auræ, ventiç; feroces
Linqute jam nostras: parcite quæso mihi!
Pergite currentes, quô vos via ducet, ad orcum!
Illic vos æstus poscat & umbra calens.
Si placet hic orbis, pigris requiescite in antris,
Illic vos glacies suscipietq; gelu.
Temperies foveat nos pulchra! & tempora veris
Perpetuò nostros sint habitura lares!
Aurea sint iterum, quæ quondam, sæcula! salvis
Fortunis, salvis artibus, atq; animo.
Sed Deus est Rector, Deus est, qui singula cernit:
Istribuat populis, quæ meliora videt!

AD BONACURSIUM, PISANUM LIBRARIUM,
quod ejus ars omnes architectos
antecellat.

PRaxiteles potuit facies effingere dignas,
Atq; Copas veros ponere in ære viros.
Phidia membra hominum picta, atq; exsculpta po-
Tu potes ingenua multa tuis manibus. (livit:
Pulchra Bonacursi digitis calamoq; figura est,
Exuperant gemmas scripta elementa viri.
Adde, quod est doct^o; nec, quidquid Græcia novit,
Hunc latet, & novit, quidquid in Italiâ est.
Ergò nequit quicquam, quod non sit laude proba-
Scribat &, & dicat, maxima solus habet. (tum:
Jure Bonacurso posthæc dabit orbis honores,
Quos meruit quisquam doctus, honest^o, amans.

AD LEONARDUM GRIFFUM,
quod scribat carmen de laudibus
Theodoræ Philephæ.

SÆpius, ut versus mittas, peto, qui Theodoræ
Commemorent nomen donaq; pulchra meæ.
Sæpe Leonardi mihi postulo carmina Griffi:
Ille negat, quando distulit illa dare.
Distulit & differt: quæ sit quoq; causa negandi,
Miror; & hoc est, quod sæpius obstuereo.
Mitte mihi tandem toties repetita poetæ
Munera, quæ patri grata futura vides.
Hanc amo pl^o, quam si foret is mas: fœmina namq;
Sit licet, exuperat hæc tamen una mares.
Ingenio excellit dederit quot in orbe puellas
Vel natura parens, vel Deus ille fator. (ca)
Huic pulchra est species, docta est, & honesta, pudic.
Egregia eloquio, moribus eximia.

AD GABRIELEM PAVERUM FONTANAM,
quod paret Mario Poetæ cœnam
modestissimam.

COENA mihi est tecum Gabriel cras: cœna pare.
Illam mihi, quâ nil feceris ipse novi. (tur)
Panis erit satis hæc, aqua sit satis unda fluentis
Quam dederit fontis, sintq; falerna & olus.
Sit lactuca recens, nasturtia, sintq; citrulli:
Cætera, si modò sint hæc, ego parva puto,
Namq; abit hinc vates noster: nos nulla Nigardam
Cura vocat; tecum cœna futura mihi est.
Atq; Bonacursus cytharam pulsabit amœnam,
Quando homini est venter umbilione ferax.
Et quia nunc fluit hic, ventumq; emittit & offas,
Ipse potest dignis plectra movere modis.

Non

Non deerunt cantus, modò fercula dicta parètur
 Nec desit facies Gorgonis illa mihi.
 Sed condire potes tu solus singula vultu:
 Latus es, & cœnam lætificare potes.

AD GEORGIUM VALAGUSSAM,
 quod bene sit ei sperandum, qui vivat
 honestissime.

Legimus, & placuit tua lecta tabella Georgi,
 Quodq; potes versu, gratulor ipse tibi.
 Crede mihi, Valagusa, tuo: nec crede loquaci
 Porcelio, quo non peior in orbe vir est.
 Ingenio præstas; juvat & te casta juventa:
 Ergò potes parvo tempore multa volens.
 Te laudo, & miror graviora negotia passum,
 Qui valeas quovis munere jure pari.
 Exercet te sermo tuus ratione solutâ,
 Excitat & numero musa sonora gravi.
 Perge age, & ætati pare, & melioribus annis
 Ingenii vires flectere quære tui.
 Miles erit nemo, nisi se dedit ante tyronem:
 Ejiciunt flores semina fruge prius.
 Ipsi etiam heroës soliti præludia bellis
 Sunt capere: excipiunt carmina quæq; modos.
 Non ego, quod nuper modulis utare poetæ,
 Hæc tibi; vel, quoniam sint tua principia:
 Sed quia tu dubitas pedibus dare forsitan ullis
 Scripta: quod est prosa liberiore viâ.
 Quanta voles, poteris dare munera tanta Georgi:
 Nil tibi difficile est, si, Valagusa, voles.
 Nunc venio ad versus; venio ad tua verba faceta,
 Ad lepidam historiam; nuncia missa mihi.
 Aspicio missam cum carmine sæpè puellam:
 Visa fuit Stygio creta puella lacu.

Nigra erat, & pallens veluti febrientis imago:
 Parva, oculos hominis labraq; sola tenens.
 Nasus erat simus, gena turgida, colla remissa,
 Frons, caput, atq; manus, pectora, forma, fera,
 Visa fuit Plutonis anus, quæ, busta dolentum
 In cineres volvens, flammea ligna parat.
 Rîsus erat solus, cur simia visa fuisset,
 Quo me tonsorem crederet, ora movens.
 Sex habet hæc dentes latos, longosq; & aduncos,
 Nana licet, crasso corpore concha tamen.
 Hanc primum obstupui, me talis at inde cachinnus
 Surripit, ut, stomacho motus, & ipse cadam.
 Hortor, ut intraret vesana puella cubile:
 Annuit, & ridet, ne placet ire tamen.
 Forsitan intrasset, famulus nisi ductor, abisset
 Significasset ei sæpè superciliis.
 Discessit mox illa: abiens persæpe voluta est:
 Digna tuo est risu nuncia missa mihi.
 Ne tereres frustra hoc tempus, tua carmina lusus
 Plena, nec erubuit, dia Thalia dedit.
 Materiam versu non visus pingeretalem
 Es mihi, sed visa est ipsa locuta simul.
 Quod te digna parens monuit vixisse pudicè,
 Id monuit, quod te quâlibet arte decet.
 Sed satis esse soles, nullâ monitrice, modestus:
 Qualis vita tibi est: talia verba sonas.

AD MARTINUM LEFRANCUM,
 quod honestam causam æstimet, Marii
 accessum ad se distulisse.

Mirari fortassè queas, Martine Lefrance,
 Differo quid tecta sæpe subire tua?
 Hoc reor, esse mihi mage te, quàm cœtera, charum:
 Tanta tibi est virtus; tantus in ore favus.

Unguis acerba mihi dat prœlia cœsa: dolores

Tradit, & efficitur sura gradusq; gravis.

Hoc nisi sit, vix me poteras rediisse Lefrance

Scire: tuos adeo glisco subire lares.

Et cupio tecum affari, & contingere dextram:

Ut valeo, citius ad tua tecta volo. (rona,

Te duce, Apollinea est mihi juncta, Lefrance, co-

Te ductore, meæ res valere prius.

Nulla mea excipiet benefacta hæc tempora mente:

Quidquid agam, aut mediter, semper in ore
meo es. (bârint,

Inter mille homines, quem mundus & astra pro-

Dignus es: es dignus, clare Lefrance, coli.

Non igitur parvo es mihi junctus amore poëtæ,

Sed mea quem taceant carmina nulla virum:

Eja age, quando potes, paribus me dilige nervis:

Gratior Æacide non fuit ille suo.

Te mihi nullus erit toto jucundior orbe:

Debeo me, quidquid sum, vir amice tibi.

O utinam possem, veluti mea carmina possunt,

Tangere te! forsan ocius id faciam.

AD AMBROSIUM GRIFFUM, MEDICUM,

quod curet Marium ab

asthmate.

Asthmatis infesti cruciat me morbus iniquus:

Et petii, & rursus, sis medicina, peto.

Nec precib⁹ nostris, nec carmine, Griffe, moveris;

Nec valet ad surdum nostra querela virum.

Aut nostro succurre malo, totiesq; vocatus

Sis mihi Apollineâ firma medela manu:

Aut ego jam credam, quoniam tibi munera nulla

Mittimus, esse tibi spernere nostra leve.

Tur-

Turpe quidem est nummis solis vigilare, & amicis
Officii partes non tribuisse suas.

Quando tamen tibi sit studium fortasse peculi,
Nec potes ergò mihi complacuisse diu:

Nelateat nos, Grisse, precor, quia scire necesse est:
Si queo amicitiaē fidere jure tuæ.

Nam vexat me langvor iners, me macerat asthma,
Atq; fatigatum turbat agitq; dolor.

AD THOMAM REATINUM, SENATOREM
Ducalem, quod curet rem
Marii.

TE duce, nostra potest pelag^o transcendere navis:
Te ductore, meæ vela volare ratis.

Solus es, in cuius mea res consistit amore,
Cujus & auxilio ditior esse queat.

Integer es, doctus, tempus qui noscīs utrumq;,
Quiq; tenes, quantæ sint in honore viæ.

Quid fortuna valet, studium, mercesq; laborum,
Præmia quanta viris sint hodierna bonis. (tis:
Quàm quoq; rar^o honos, quàm munera pauca poë-
Solutus es hoc sæclo dives & egregius.

Orator, Vates, Legum, Canonumq; probatus
Interpres; nulli parve minorve viro.

Omnibus excellis titulis, quos maxima, Thoma,
Ausonia excelsos tradidit, & meritos.

Omnibus excellis, fortunâ & moribus æquis:
Non tibi dissimile est munus & ingenium.

Cuncta Reatinus valet inclytus; omnia solus
Nostra potest: solum quem mihi posco patrem.

Quid, nisi me foveas, faciam? quid in urbe Papiæ
Longiùs efficiam, nī mihi tradis opem?

Aut igitur succurre tuo, vir die, poëtæ,
Aut ego desperem tempora longa dari.

Scis stomachos nescire famem perferre premen-
 Nil finet nobis. Ergò rogate fave. (tem:

AD PTOLEMÆUM ET CAROLUM BERARDOS,
 Cæsenates, quod magnam spem
 de se faciant.

JAm, Ptolemæ, cupis similem te, docte Berarde,
 Iis, quibus est veterum pagina plena librûm.
 Teq; imitatur, honos stimulat quem, Carolus iste,
 Quem tibi Germanum junxit uterq; parens.
 Et veluti gemini formâ superatis honestâ
 Hippolytum, & castâ religione Numam:
 Sic adhibetis, edax ne vos ferat urna sepultos
 In cineres, operam laudibus egregiis.
 Vivetis meritò, nec vos moritura vetustas
 Surripiet, nec erit iste caducus honos.
 Lactecaballino nutriti, illoq; liquore,
 Quod fluit antiqui Nestoris è labiis. (ster,
 Quidquid Aristoteles, quidquid docet & Zoroa-
 Discitis; & celso nectitis ora polo,
 Felices, qui vos igitur genuere parentes!
 Et, quibus est vestrum junctus uterq; viris!
 Nulla Sigismundum, nisi vos rapitocius atra
 Clotho, Ducem tantum sæcula prætereant.
 Non opus est aliis, Malatesta Novelle, Poëtis,
 Si Lachesis finit hos vivere doctiloquos.
 His plaudit Phœbus, quibus est tam casta juventà:
 His Apis, his magnus plaudit in orbe Plato.
 Judice me, Ptolemæe tibi, & tibi Carole, nulli
 Sunt similes: vel avis est ea rara quidem.

AD INCLYTUM SANCTUM BENTIVOLUM,
 quod pro tutandâ Patriâ summas
 quæsierit laudes.

San

SANCTE, tibi quis digna queat cecinisse poeta
 Carmina? quis dignum mittet ab ore tonum?
 Felsina te gaudet, domino velut, inclyta Sancto:
 Convenit hoc tibi quàm nomen? & hic titulus?
 Pro patriâ es sanctus, pietas cui cognita tanta est,
 Coclitis ut nihili fama putanda fiet,
 Hostibus expulsis iterumq; iterumq; relictam
 Hanc urbem servas solus & hos populos.
 Ergò etiam Ducibus tua tanta est cognita virtus,
 Ut Ducis Angvigeri jure vocere nepos.
 Sfortia Alexander socer est: clarissima sed te
 Gesta magè exornant, non moritura viro.
 Pro patriâ nihil ipse mali, nihil ipse pericli
 Vitasti, mortem nec subiisse timens.
 Inde igitur meritò tanto exornaris honore,
 Quantum Principibus tradere fata solent.

AD LEONARDUM BOTTUM CREMONAM,
 quod præstet meritis naturam
 patriæ suæ.

SAL mihi tu donas, epulas quod condiat acres,
 Pro sale carmen ego do tibi, Botte, meum.
 Quando Leonardus lapidum nos sumere fument
 Curat, ego sapidis versibus huic referam:
 Nolo Cremona tibi sit patria, Botte, rebelles
 Quæ dedit Augusto terra voranda viros.
 At te cana fides laudis famæq; sequacem
 Nutrivit: non est ergò Cremona tibi.
 Italia est, Sanctiq; domum, quam lucifer ornat
 Eximiis meritis, Botte pudice, colis.
 Doctus es, & docto sal mittere convenit: illo
 Condiò sæpè cibum; vescere & ipse lyrâ.

AD

AD MATTHIAM TRIVIANUM,
quod, ut leo excellit animalia sensu,
sic ipse viros omnes.

Matthia clare leo, sine te leo nullus in orbe est:
Quando leonizas, totus es ipse leo.
Es leo brutorum princeps: leo maximus inter
Quot numerare queas, sive putare viros.
Quod si fortè velis prudenter dicere quicquam,
Non leo, sed, quo non clarius orbe, vir es.
Eloquio, s'vavi polles, gravitate, modoq;
Ingenio doctus, moribus atq; vales.
Noscis utrumq; diem: Levibus, gravibusq; vicissim
Uteris, & tempus atq; imitare viros.
Hoc est, quod multifacio, se tradere rebus,
Fortunæ, atq; viris, temporibusq; parem.
Nam quicumq; eadem semper servavit ubiq;
Nec varios tenuit orbis in orbe modos;
Ille sibi sapiat, sibi se concedat, & omnis
Sit suus: hic nulli, mî Triviane, placet.
Sed qui scit fatuum sese præstare, jocosq;
Excipiat gratis, quando opus esse videt;
Quiq; tenet, quâ laude fiet donandus amator
Egregii tituli, qui studeat meritis;
Et sequitur probitatis opus: mihi, Matthia, talis
Visus erit dignus quolibet ore viri.
Talis es, & talem te laudo, proboq; voloq;
Esse meum quovis munere amicitia.

AD JACOBUM BRIXIENSEM,
quod non sit à Mario ignaro amato-
rium poscendum carmen.

Quando, Jacobe, meas laudasq; cupisq; camœ-
Et petis; ignotum carmen amoris agam (nas,
Hoc

Hoc doleo, ne fortè sciam, quæ nympha venusta
 Sit tua, cui valeam carmina digna dare.
 Nam tibi quæ poscit grata esse, hæc una necesse est
 Formâ Helenen vincat, exuperetq; deas.
 Si sit opus paribus flammis tibi competat illa,
 Major erit Daphne, pulchrior atq; satis.
 Nam tibi & ingeniû est, & mens clarissima multò;
 Exuperas plures, clare Jacobe, viros.
 Sed postquam versus poscisq; putasq; Philelphi
 Esse deæ acceptos armaq; nostra tuæ;
 Quattuor edidimus, mea sit licet orba Minerva,
 Et careat numeris nostra Thalia suis:
 Phœbus in ore tuo est; frontem dedit alma Diana;
 Par violæ color est, par gena pulchra rosa.
 Moribus & specie, gestuq; modoq; venusta es:
 Juppiter ingratas non tulit esse Deas.

AD AMBROSIUM GRIFFUM,
 quod medeatur Mario, cui sapius
 fuit medicamento.

Ambrosi, qui sapè tuo medicamine miro
 Subsidio fueras, cum mihi febris erat;
 Asthma meum pectus stomachumq; fatigat an-
 Spiritibusq; meis claudit ad ora vias. (helum,
 Ergò opus est itidem mihi te: tua dia medela
 Me valet è tantâ restituisse lue.
 Exuperas medicos quotquot dedit Ind^o & Auster;
 Quot dedit & Nilus, quot dedit atq; Tybris.
 Judice me, novus es, velut alter in orbe Galenus;
 Judice me, nullus te medicâ arte prior.
 Aut Phœbo genitus, genito seu cretus ab ipso,
 Equiparas natum, jungis & arte patrem.
 Ergò meo huic morbo succurre, perite: petentem
 Atq; fatigatum, Griffæ vocate, fove.

Red.

Reddidero hoc munus; semper memorabereno-
Semper eris calamo cultus & ipse meo. (bis)

AD GABRIELEM PAVERUM FONTANAM,
quod Mario paret modestum
prandium.

PRandia mane para, promissaq; carmina nobis:
Sumetur tecum crastina cœna mihi.
Et quoniam nata est Theodora Philelpha Poëtæ,
Carmina de genitâ sint tua cuncta meâ.
Aut cœnam, aut nobis des prandia mane futuro;
Rara mihi tecum est: sit tua mensa gravis.
Et quia rara itidem tua carmina mittis, ab ipsâ
Fac veniant Rhodope, sive Helicone ruant.
Hoc potes; hoc novi: sit & hœdus in ordine cœnæ,
Et versus pleni mentis Apollinæ.
Nec capus hîc desit pingvis, nec molle Falernum:
Nec desit numeris dia Thalia tuis.

AD JOHANNEM PAGNANUM, MEDIOLANEN-
sem, quod imitetur majores pro bo-
nitate sui ingenii.

INGenium egregiû est tibi, mi Pagnane Johânes,
Sed juvat ingenium cura laborq; bonum.
Quare age fac studeas laudi, fac moribus almis
Te totum adnectas: te quoq; fama vocat.
Nam si magna voles, facile est, attingere quæq;
Non nisi diffiso difficile est aliquid.
Tunc ego pro meritis potero te tollere ad altum
Æthera: eris nostri carminis historia.
Principium nunc est, sola & fomenta: adolescîs:
Nunc primûm incipiet lævis adesse cutis.
Cum lanugo tuam faciem nunc prima subibit,
Tunc opus est studio, mente, animoq; tibi.

Ver habuit quantos flores, fructusq; Autumnus!
 Et totidem semper frugibus eripitur.
 Sicca adeò est tellus, tam ferventissima in æstu,
 Humida quàm fuerat: quamq; sepulta gelu.
 Non iidem vultus: non iisdem moribus artes
 Sunt homini semper: non ea semper avet.
 Nunc lætus, nunc mœstus agit: lascivit in illum:
 Hic gravis est: eadem non mihi musa quoq; (dè:
 Sum quandoq; meus: possum, volo quidquid, abũ-
 Sunt aliquando mihi tempora læta minùs.
 Ergò nec obstupeas, claudis si versibus erro (tunt.
 Nunc quoq;: namq; hilarem carmina digna pe-
 Ast ego ne lætus sum, quem mala tempora musis
 Tradiderint; ubi non est in honore locus.
 Plus laudant cyathos; & vina Falerna, poëtas
 Quam laudent hodie turba Ducesq; simul.
 Sæcula funestis quæ nos durissima fatis
 Tradiderint, doleo, chare Suarde, nimis.
 Non hodie laudant Versus, sed Purpura fulget:
 Nulla auro Virtus par: jacet omnis honos.
 Cur non Cræsus adest hoc tempore? sæcla beas sēt
 Hæc hominem: foret is cultus in orbe Deus.
 Impia fortunæ series, maledicta noverca
 Facta viris, quantos Itala fama refert.
 Non ego me priscis similem puto; nulla, Johannes,
 Me vesana tenet mens, fatuum ingenium.
 Libro meas vires, robur mihi metior omne:
 Non ego me laudo, tollòve nostra furens.
 Mœreo, quod nullo, studeam si vatibus, ostro.
 Nec titulis possum, chare Suarde, frui.
 Maceror hoc, quia non sacræ sunt tanta poësi
 Præmia, quanta priùs dona fuere virùm.
 Hoc crucior, quia non licet inservire camœnis,
 Quando opus est vacuum, ponere inane dies.

Incipient sensus, diræq; libidinis artes
 Terapere: hîc opus est mente manuq; viri.
 Remigio, & velis, cum fluctuat unda, necesse est,
 Et cupit ignotum vulnus amoris agi.
 Non nisi bellantis laudabimus arma duello;
 Nulla etenim est Virtus, dicere: miles ego,
 Tam tibi concedam, quantum merearis, amice:
 Quanta tibi est Virtus, rantis & extet honos.
 Facigitur, te digna viro probitasq; decusq;
 Concomitentur: habes cuncta parata tibi;
 Naturam, & dignos, quos sæpè imitère parentes:
 Virtus sola potest nobilitare viros.

ADVERSUS EXTREMUM ÆSTATIS
 CALOREM.

Æstuat ignis edax, segetes uruntur & agri:
 Uritur herbosum litus, & unda fluens,
 In scopulis vituli, Ponto fugiente, marini
 Jam capiuntur: habet arva nemusq; calor,
 Quæq; suo superat Sicula Ætna cacumine nimbos,
 Occupat ignito fulmine membra sali.
 Vestibus uror ego calidis; magis uror amore:
 Ergò mihi est geminus ignis, & ira duplex.

AD JOHANNEM SUARDUM, POETAM
 MEDIOLANENSEM.

PLura ubi scripturus fueram, mea tarda Minerva
 Obsequiosa minùs in mea pleetra fuit.
 Ergò manus quamvis cytharisq; lyræq; dedissem,
 Discordes modulos nervus in arte tulit,
 Non eadem semper mens est in vatibus; ille
 Non est semper honos: pes quoq; sæpè vacat.
 Annus item varios menses complectitur: Hiema
 Non benè cum calido conveniet ravidus.

Quare ego si solito non profiuo munere amicis,
 Raraq; si scribo carmina, da veniam.
 Quæ riguit quondam febris, diuturna tepescit:
 Qui fuerat fervor, si jacet, est glacies.
 Parce mihi, sed sæpè tamen tua carmina mitte,
 Qui numeris ipsas scis revocare feras.

AD VENTURINUM PRIOREM,
 quod fuerit honesta causa silentii Ma-
 rio Philelpho.

Questus es, & meritò, quod epistola rara Philel-
 Sit tibi lecta Mari; quod siluere lyræ. (phi
 Questus es, & meritò, quoniam me diligis, atq;
 Nostra cupis, veluti munera Apollinea.
 Ast ego, quod tacui, possum ratione tueri:
 Pondus honestatis nam mea causa fovet.
 Me quartana febris tenuit maledicta jacentem
 Hactenus, & stomachi me tenuere graves.
 Cumq; abiere duo morbi, me tus sis acerba
 Corripuit, nec adhuc me requiesse finit.
 Sed quodcunq; malū dederit mihi temp^o, in omni
 Tempore te memini, compat. r, atq; tuos.
 Tu mihi charus eris, quam dudum vixeris: ergò
 Rara tabella licet, menstamen ipsa tua est.
 Vitantem pestes huc me pia fata tulere:
 Ex Pedemontanis urbibus orbe vagor.
 Quod si fortè velit tandem Deus optimus, omnis
 Hæc fortuna cadet, atq; erit almus honos.
 Me superabo illum, cum tu mihi compater illam
 Fonte sacro natam tradis, eroq; tuus:
 Alter ero, quam sim nunc pallidus; atq; severam
 Sævitiem ponam; carmina sæpè canam,
 Tu quoq; tunc poteris talem laudare poëtam,
 Qualis erat, quando te Theodora tulit.

Et melior posthac fiet, majorq;: videbis
 Me fore, qualis erat dives Aristoteles.

Eulogium

PRO ILL. AGNETE, SORORE CYPRII REGIS,
 Fœminâ præstantissimâ.

Rex fuit & genitor, mihi Rex quoq; frater, & omnis

Regia nostra Domus: Rex mihi & ipse nepos.
 Ergò etiam Regina fui de Regibus orta:

Agnes nomen erat, sed domus alma Cyprus.
 Virgo obiiseno quanquam gravis: inclyta fama

Me tulit ad superos: hic mihi læta quies.
 Sum Regum tutata decus; sum laudibus æqua

Regibus: id pietas tradidit atq; fides.

AD ILL. SIGISMUNDUM MALATESTAM,
 quod podagra impediverit
 hunc Codicem.

Unde homini hic morbus, maledicta podagra,
 nefandus?

Unde dolor tantus, vulnera qui superet?
 Nec minimos lædit: Regesq; Ducesq; perosa est,
 Pontificesq; sacros, eximiosq; viros.

Certè ubi fortunæ nequit ulla nocere libido;
 Hæc comes illius infidiosa probis.

Et quid id est, nequeat cur dira podagra medelis
 Sanari? nec habet morbus is artis opus?

Hæc ego cur? quoniam, sequerer cum fortè libellos
 Hos, nequeo: presit namq; podagra pedem;

Atq; adeò crucior recubansq; le densq; dolori
 Ut nequeat virtus se opposuisse fero.

Rideo quod referunt, adeò constantibus usos
 Laudibus esse aliquot, quos meminere, viros;

Corporis ut nullus cruciatum senserit acrem;
 Nec gemuit, quando mille dolenda tulit.
 Num natura potest cuiquam mutabilis esse?
 Num cuiquam indulget non doluisse Deus?
 Aut adeò in cautes medios saxosaq; natus
 Est juga, & è Stygio traditus ille lacu;
 Ut veluti gelidum teneat nihil undiq; marmor?
 Nec teneat quicquam sanguinis atq; halitus?
 Si fateare mihi, sensum esse, nec esse dolendum;
 Quod ratio morbos surripuisse queat:
 Tunc ego nil dictu levius puto: si foret ille hîc,
 Qui putat id, secus is hæc mihi rettulerit.
 Hoc ego vel semper, Princeps præclare, fatebor,
 Infestum hunc morbum nocte dieq; mihi.

AD MAGNIF. VIRGILIUM MALVITIUM,
 quod difficile sit, Malvitorum
 laudes enarrare.

Virgilium volui nonnunquam efferre canendo,
 Et quot habet fratres: lenta Thalia mea est.
 Lenta quid est tandem mea musa? nequire fatebor
 Nos brevibus tantos tollere ad astra viros.
 Pauca quis ergò canat, sunt multa ubi jure canēda?
 Pro multis valeat officiosa fides.
 Malvitiî fratres, quæ vos pia fata tulerunt?
 Certè, ubi vos meditor, tempora prisca scio.
 Et memini multos legisse aliquando latinos,
 Quorum vos sequitur fama decusq; patrum,
 Nec quenquam excipio vestrum, licet ille prior sit,
 Ille secundus: habet quisq; suos titulos.
 Nec pietate minor, minor est non laude, fideq;
 Viribus, ingenio, dotibus atq; animi.
 Conveniunt vobis sacra nomina: nomen Achillis,
 Virgilii, Alcidaæ, quem colo plus oculis:

Et Pyrrhi: & tandem sequitur vos Troilus, almâ
 Relligione sacer, & geniti & genitæ.

Quis Ducibus patria est servata, nec ullarelicta
 Priscis fama viris, gloria Romulidis.

Vivite, quando animo præstatis singula divo,
 Et viget in vobis gloria Felsinea.

Bentivolûm diuturna cohors, clarissima vive!
 Malvitæ specimen, luxq; salusq; domus.

AD LUDOVICUM ET FRANCISCUM

Thronos, Venetos, quod fuerint in
 Marium munificentissimi.

FERTUR Alexander Macedus misisse Philippo
 Munera, quæ fuerant digna putanda Jove.

Accusatus, ait: non se dare, quanta Arabarchus
 Promeruit, Regis sed tenuisse modum.

Sic vos, ô gemini fratres, cum Castore Pollux,
 Mittitis eximio munera digna Duce.

Nec mihi quid rauci dederit Cyllenius Ales
 Cernitis: at vestri jura tenetis avi.

Ille in amicitias aurum dispersit habendas,
 Scipiadem veluti sæpè solere ferunt.

Vos mihi, quæ malum superent, datis inclyta vasa,
 Auratum, & tela Procridis, atq; canem.

Vos mihi, quod vincat pateram, quam Juppiter illi
 Tradidit hostili de Thelebœ, datis;

Sertaq; quæ Veneri Vulcanus, & illa Lyæo,
 Illeq; Gnosiacæ tradidit, exuperet. (rum,

Quis mihi magnidecens vestro modò præferat au-
 Thesauro ex Cræsi sit licet illud adhuc? (tas?

Quis mihi Persarum Zephyros? Arabasve adaman-
 Quis Parios Indos? quis quoq; ebur Libycum?

Quis putet hâc quicquam paterâ præstanti? orbe?
 Vel recitet Nili, vel magè Gangis opes?

Nam neq, magnificū puto, quod mirabile visu est,
 Quod Mida possideat, quodve Lucullus habet.
 Sed cui donato nec vel facundia lingvæ,
 Vel desit facies lata, benigna manus.
 Hâc causâ limpham Perfarum maximus ille
 Erudibus manibus, munus agreste, tulit.
 Hâc causâ & Martis si thura vehantur ad aras,
 Sit licet ille ferox, lumine stat placido.
 Quamvis magna mihi dederint, quæ mittere Cyr^o
 Sit solitus, soliti mittere Casarei:
 Si desint Phœbi vultus, si Nestoris arma,
 Nil mihi dant: munus ornat amica manus.
 Hectore quod Priamus dederit tot millia cœso,
 Vi fuit: Æacides nam prece durus erat.
 Quodq; Saguntini gladiis jugulâre parentes,
 Vi fuit; hos Pœniterruit atra manus.
 Ergò bonum nihil est, nil detestabile, quod vi
 Fit; ratio Nemesin non habet ulla feram. (pho
 Non prece vos, non vi, propriâ sed mente Philel-
 Mittitis egregium, quod Copa fecit, opus.
 Phidiacâ mihi facta manu, Niciæve parasfis
 Deditur: Euphranor & Polycletus adest.
 Praxitelesq; suas mediis animalibus undas
 Cinxit, & ex cunctis hoc mihi præstat opus.
 Credite nam, Ludovice, mihi, & Francisce beni-
 Sunt veluti Titan munera vestra mihi. (gni
 Hæc quoties specto, toties speculatus in hisce
 Nulla Corinthus abest: pignus amoris inest.
 Nec Curio Samnis quæ plurima turba paravit,
 Dona fuere gravi grata futura viro.
 Fabricio nec, erat quæ Samnis turba datura,
 Chara fuere duci, pignora quæq; doli.
 Non aurum, quo Pyrrhus avet corrumpere, Cajo:
 Non itidem Pyrrho munera missa placent.

Sed quoties animi sunt nuncia dona benigni,
 His Venus est toties, his quoq; Phœbus adest.
 Cur, si quem Cypridos comendet epistola Marti
 Ille habet & tabulis prospera fata suis?
 Cur queat & Danae dirum frenare tonantem?
 Majaq; terribilem mollificare Jovem?
 Cur poterit Ditem Cereris placare puella?
 Est, quod amor jubeat, id facile omne viris.
 Adde favum lingvæ, quo Cerberon inclytus Orphe
 Mulsit, & è stygio venit ad astra lacu.
 Quoq; vel Amphion Thebanis mœnibus ipsos
 Conjunxit lapides, durum & agreste genus.
 Quoq; etiã Cecrops homines per lustra vagantes
 Connubii celebres reddidit atque domo.
 Quando amor, & claræ simul est facundia lingvæ;
 Parva licet, summo sunt quoque grata Jovi.
 Non etenim Tyrius color est, qui splendeat ipsa est
 Mens hominum, quæ nec murice majus habet.
 Non minor est Diamas, melior non ipse hiacyntho:
 Fert tamen inter tot millia majus opus.
 Non mulier longo quæ excedat corpore cunctas:
 Talis at his placita est casta Diana vitis.
 Quin etiam Æthiopes, simo quæ prædita naso est,
 Nigra magis, ducunt hanc superare Helenen.
 Creditur & Phœnix, quæ nunquam est visa, sub axe
 Quod referunt, solis urere membra vetus.
 Quidquid in hoc igitur surgitve jacetve lutoso
 Orbe, hominum ductu statve caditve leve.
 Ergò quod est vestrum munus, me judice, plenum
 Eloquio Tullî, quodque ab amore fluit:
 Plus mihi, quàm Paridi placuit surrepta gemella,
 Plus placet, Alcidæ quàm sua clava suo.
 Plus mihi, Mercurio placuit quàm fistula dulcis;
 Plus placet, Æacidæ quàm suus ille nepos.

Plus mihi, quàm Pyladæ placuit comes un^o Orestes;
Plus placet, exigua quæ sonet ulla chelys.

Cum paterâ missum est monumentum pignus a-
Mutata in laurum quod fuit illa Dea. (moris,

Sed facitis juvenes non hæc modò, at illa; futuros
Quis puto magnanimæ sceptrâ decusq; domus.

Quod si habeo grates, quantum vix dicere dignas
Fas sit, eas nostræ non opis esse scio. (lia,

Quod reliquû est, si quid poterit mea parva Tha-
Sæpe meo vestrum carmine minus erit.

AD ÆGIDIUM CARPENSEM, ARIMINENSEM
Præsulem, quod sit Mario & tacendi
& dolendi causa.

SCire velim, verbis quid epistola nulla duobus
Nec tua visa mihi, nec mea lecta tibi.

An quia te morbus tenuit grave fortè cubantem?
Invasitque tuos dira podagra pedes?

Si causa hæc fuit, ut raro ad mea tecta tabella
Sit tua missa, feram, quâ ratione velis.

Nam mihi par causa est: cuncta internodia pestis
Atque pedum digitos hæc mihi cortipuit.

Inde fatigatus noctesque diesque laboro:
Nocte quies nulla est, nullaque luce salus.

Publica deserui, dum me vorat acriùs, atq;
Privatis nequeo consuluisse satis.

Maceror in lecto, non est mihi copia gressus:
Nec facile est, humeristam grave pondus agi.

Memagè difficile est famulum gestare vehentem;
Quàm fuit Antæum viribus Herculeis.

Ergò velut truncus jaceo; non illa nec illa
Cura mihi; mors est sola petenda mihi.

Nec me aliquis nimiùm mollem, pater optime, di-
Quod nequeam morbi vulnera ferre feri. (cat,

Non

Non adeò id doleo, quod me cruciatq; premitq;
 Usque adeò, ut nequeat durius esse malum.
 Sed magis hoc angor, non esse mihi utile quicquã,
 Ad Virtutis opus, ferreq; inane diem.
 Nam dolor, ut ratio mihi consulit, esse ferendus
 Dicitur, egregium si sequitur meritum:
 Hoc ubi non fit, quis moribundo corpore natus
 Cœlestes ausit æquiparasse deos?
 Non lachrymas Marius, medicus cum cædere surã
 Pergeret, emisit, longior ut fieret.
 Attilius tormenta tulit, quò, posteritatis
 Fretus laude, dies viveret innumeros.
 Ast ubi nec morbus laudem vocat, acreq; confert
 Vulnus ad interitum, quid vacet ipse dolor?
 Adde, ubi nos ridet vel vulgus, & audet inertes
 Dicere, quos vexat dura podagra viros.
 Quid speremus in hoc sæclo? quid frena dolori
 Ponere possimus? præstat obire quidem.
 Quandoquidem mors est cunctorũ extrema ma-
 Et, quod sit brevior, est toleranda lues. (lorum,
 Nam q; ubi corporeo est animus tortore solutus,
 Liber ad ætherei pervolat arva soli.
 Si modò se superis servavit postibus omni
 Ingenio, & meritã religionis ope.
 Namq; quibus nihil est optabile, vivere quàm, quò
 Velcantur veluti bruta nefanda cibo:
 His metuenda quidem mors est, quia vivere vitam
 Haud poterunt aliam, sed morientur eam.
 Assyrii hanc vitam dicent ceu Sardanapalus
 Smyndiridésve aliquis, sive Epicurus iners.
 At Cræmeræ extincti, & Cannis consumpta juvent⁹,
 Hic parvi faciant vivere mille dies.
 Dissolvi cupio, dixit vel Apostolus ille,
 Esseq; cum Christo: mitto etenim veteres.

Spon

Sponte crucem sumpsere suam pleriq; beati
 Ut fierent Cælo, cælicolisq; pares.
 Sponteq; martirium subiere; adiere tyrannos,
 Et voluere mori, vivere quàm miserè.
 At Decii id laudi genitusq; paterq; futura,
 Atq; dedere alii, quot numerare grave est.
 Pro laude ergò mori si dulce est, pro Paradiso
 Quærendo id præstat jure quidem fieri.
 Quod si sæpè feris mors est optata periclis,
 Quale docet Stephani turba secuta decus:
 Quis dubitet cupiisse mori, cum vivere tædet?
 Estq; animus superis promptus in orbe bonis?
 Non nego, me peccasse Deo, & mea crimina corâ
 Aspicio; & quæ sit pœna luenda scio.
 Sed scio, quid soleat Christus, qui parcere suevit
 Omnibus, atq; finem constituisse suum.
 Namq; vel inter tot graviora pericula rerum,
 Nec pejora reor tela tulisse mihi.
 Non ego Gracchorum pro seditione tumultum,
 Nec petii imperium, dire Cethege, tuum.
 Non ego Verrinas fraudes, scelera atq; Neronis,
 Sive sequor Varii per genus omne nefas.
 Detestor, veluti pestem, genus omne cinædum,
 Afficior claris eximiisq; viris.
 Siquid agunt Reges, dignû quod carmine constet,
 Carminibus recito sæpè vel ipse meis.
 Nullus avaritiæ stimulus mihi: vivo modestè,
 Partior & quidquid dant mihi fata, bonis.
 Non vacat assiduis aut hinc venientibus, aut hinc
 Nostra domus: doctis omnibus hospitio est.
 Discedensq; aliquid petit hic, petit ille talentum;
 Ille numisma petit, illeq; poscit opem.
 Omnibus auxilio sum, si modò ferre facultas
 Id valet; & quidquid non queo, compatio.

Res minor; est animus mihi regius, & manus ipsa:
 Si fortuna foret, regia cuncta forent.
 Invideo nulli; me livor nullus anhelum
 Occupat: haut bilis me coquit atra quidem.
 Non odio est quisquam mihi, læserit ille licet me:
 Indulgerelibet; non odio est aliquis. (quam,
 Quot mihi turba modis detraxit inepta? quot, in
 Carminibus nostrum perdere nixa decus?
 Ast ego, neglectis pompis vulgiq; nitore,
 Contempsi plebis vulnera belligeræ.
 A puero mihi nulla quies: modò Græca petivi
 Oppida, ut Attæa cognita lingua foret.
 Et modò in Ausonias urbes rediisse coactus,
 Militis à teneris unguibus arma tuli.
 Est mihi ducta priùs cum cœpiadolescere, conjux
 Ignarusq; patris quid foret, esse pater.
 Masiliam teneri nervi rexere: subivi
 Quod fuerat clari militis officium.
 A patre nulla mihi, fueratq; domestica nulla
 Res ab avo: & rebus sæpè necesse fuit.
 Curandus victus, fama, & fortuna tenello,
 Et studium, & lingvæ dona utriusq; mihi.
 Sæpe Duces adii, diversaq; regna petivi,
 Semper honoratus inde vel inde redi.
 Hic mihi dona dedit, dedit ille insignia laudi;
 Munera multa simul inde vel inde tuli.
 Quæ, nisi magnanimus, constansq; piusq; fuissè,
 Non poterant semper obsequiosa fore.
 Post tot ego factus, post tanta pericula lecto
 Ut jaceam? & cæco carcere detinear?
 Debeo malle mori; quia morte tenebo superni
 Astra poli, & sedes æthere constituam:
 Vivere quàm lecto, mihi nec, patriæve meisve
 Prodesse, & vitam ducere terribilem.


Interea & morbo non est medicina parata,
 Quòdve levet, nihil est, ad mea damna malum,
 Nam postquam Augustus vitali fungitur aurâ,
 Atq; vagus campis ducitur Elysiis,
 Postquam Meccœnas decesfit & ipse; Poëtis
 Nemo alius fautor, nullus in orbe locus,
 Pollio nullus item, nulla emolumenta laborum;
 Deslendum est miseris vatibus ergò diu. (dum:
 Nec numeris cuiquam, cytharis nec id ergò vacan-
 Nulla sequuntur enim præmia doctiloquos,
 Virgilio meliùs, meliùs quoq; cantet Homero;
 Plus tuba, plus thyasi, plus quoq; pompa placet,
 Mulcentur, fateor, Regesq; Ducesq; canente
 Vate: sed haud vati præmia digna parant,
 Deberi sibi cuncta putant, modò vivere vates
 Procurent; miserum vivere sit licet id.
 Non accuso cibos tenues, non annua parva
 Munera, non, quidquid vilius esse potest,
 Sed quod prima tenet loca, qui nihil undiq; curât,
 Quàm quidquid præsens fama decusq; refert,
 Quodq; bonis locus est nullus, nisi tædia rerum
 Quotidianana sibi quærere quæ cupiant,
 Et velut unus honos, cumulataq; gloria præbet
 Ingenium, & vires perficit atq; animum;
 Sic cadit & stimulus condendi carminis illi,
 Huic Profæ; desunt munera quando libris,
 Quadringenta dabit psitaco sextertia sumpto
 Rex potius, vati quam tria fortè suo,
 Dux autem accipitri, mergus cui captus, arenam
 Quam Tagus attulerit, quam dabit atq; Tigris,
 Ille quidem pardum, multo cupit ille leonem:
 Ille canes nutrit in nemora alta feros.
 Singula quisq; petit: nemo est, cui doctior ullus
 Charus agat rebus tempora læta suis.

Bella tument, armisq; vacant populiq; Ducesq;:
 Quod caperent vates, vendicat omne tuba.
 Hujus clangor enim sibi singula corripit; omnes
 Hanc metuunt: metus est qui domat omne nefas.
 Armufas toto si quis veneratur in orbe,
 Et fovet ingenium dignius & studium:
 Ecce! Sigismundum peperit natura, Poëtas
 Qui fovet, & summa munera sæpè refert.
 Ecce! Sigismundi frater Malatesta Novellus,
 Cui sunt doctiloqui numina sola viro.
 Hi duo, ceu gemini, sacro cum Castore Pollux,
 Tutantur Vates, atq; sacrum ingenium.
 Sed modica ambobus miserû me! est illa facultas,
 Quâ vellent centum consuluisse probis.
 Quiq; volunt, neque unt: qui negligit inclyta quæ-
 Ille potest: vario ludis inepta pede; (que,
 Irridesq; bonos, fors impia: justa fatigas,
 Injustisq; faves: singula præcipitas.
 Jure igitur moriamur, ait spes alma superni,
 Nostra poli, quando viximus ingenuè.
 Et sic justa fuit nobis quæ causa tacendi,
 Scire potes: vel quæ causa doloris erat.
 Sed me frenat amor natorum, & cura futuri
 Nominis, & quidquid posteritate fluit.
 Sic etiam, quamvis non sint mihi præmia digna,
 Meq; podagra premat, gesta canenda canam.
AD THYMOTHEUM, VERONENSEM
 Sacerdotem, Theologum opti-
 mum, de Vitâ beatâ.
Jure Thymotheus nomen tibi, volvere quando
 Frena potes, veluti fecit & ille veter.
 Ille homines quocunq; animo, nemesive fuissent,
 Ad modulos traxit inde vel inde suos.

At

At tu qua rabie, cæcave libidine pressi
 Sint homines, capti quove furore ruant;
 Imperio reddis mentisq; animiq; quieti,
 Et ratione facis omnia percipere. (vit,
 Quodq; Apis, & genitus Phœbo, Phœbusq; nequit.
 Corporibus quorum sana medela fuit:
 Tu sanas animos, & morbos comprimis omnes,
 Et medicamentum conficis eximium.
 Atq; potes lingvâ, numeris quod dicitur Orpheus
 E stygio inferni monstra ciere lacu.
 Quod fertur modulis Amphion, & ipse loquendo
 Cogis saxa, suam ponere duritiem.
 Convenit ergò tibi nomen: dabis ergò futuris
 De te multa viris, quæ memoranda fient.
 Quando quidem nihil ipse probas, nisi posse beati
 Esse, orbis post tot dira pericla mali.
 Nam Lachesis mundana rapit, quia pensa fatigat
 Atropos, & Zephyro par volat aura levis.
 Omnis honos, mundi q; decus, fastusq; peribunt:
 Cœlestis sed erit non moritura salus.
 Ver erat: est æstas: subit, hâc abeunte, autumnus:
 Dum ruit hic, hiemis tempora dura jacent.
 Volvitur & rursus, rursusque volubilis annus,
 Inque dies horas funditur ipse suas.
 Sic species, formæq; bonum corpusq; Gigantis,
 Et quidquid fortis subditur imperio.
 Vivitur in superis nullo discrimine tectis,
 Nec mutare potest dona superna dies.
 Rectè igitur simul ipse tibi, simul omnibus, esse
 Præcipis ætherei Regna petenda poli.

F I N I S,



sfi
ruant;
niet,
cebusq; neq;
a fuit;
imis omnes,
ium.
citur Orph.
i.
ipse loqu
i.
gò futur
a sient.
ifi posse b.
li.
ensa fatiga
ra levis.
sq; peribn
us,
autumnus;
ra jacent.
is annus;
i.
; Gigantis
rio.
ctis,
dies.
ibus, esse
oli.